'Gyr pizn.

Programm,

womit zu

der öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

Friedrichs-Werderschen Gymnasiums,

welche

Mittwoch, den 9. April 1851

Vormittags von 9, Nachmittags von 2½ Uhr an

in

dem Hörsaale der Anstalt

(Kur-Strasse No. 52.)

stattfinden wird,

die Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und des Gymnasiums

ergebenst einladet

Karl Eduard Bonnell,

Director und Professor.

Inhalt:

De Thucydide et Herodoto quaestionum historicarum specimen vom Prof. Salomon.
Schulnachrichten vom Director.

Berlin, 1851.

Gedruckt in der Nauck'schen Buchdruckerei.

DE

THUCYDIDE ET HERODOTO

QUAESTIONUM HISTORICARUM SPECIMEN.

Graeci cum omnibus artibus longe inter veteres populos praestiterunt, tum praecipue historiam et invenerunt, et ad summam paene perfectionem perduxerunt; omnium autem rerum scriptorum Thucydidem haud dubie principatum obtinuisse inter viros eruditos satis constat. Itaque Herodotum quidem patrem historiae[1]), Thucydidem vero *τὸν συγγραφέα*[2]), sicuti Homerum *τὸν ποιητήν, κατ' ἐξοχὴν* appellabant. Sed cum enarratio rerum bello Peloponnesiaco gestarum ipsa et ob summam, quam adhibuit, curam ac diligentiam in exquirendis pervestigandisque veris rationibus, quibus ingentem laborem[3]) et sumptus adeo impendit maximos, et ob uberrimam maximeque perspicuam explicationem atque explanationem summis semper efferretur laudibus, nihil tamen magis mihi quidem admiratione dignum videri solet, quam quod ea, quae huic bello praemissa primo libro continentur, perscripserit. In quo primum non solum veri studiosissimi et acutissimi historici munus omni ex parte explevit, sed etiam futuro cuivis rerum scriptori quid maxime spectandum, quid praestandum sit luculentissime ostendit. Deinde omnes propemodum res, quae ante illud bellum a Graecis terra marique gestae erant, quamvis paucis, tam diligenter complexus est, ut non modo bellum Peloponnesiacum ipsum, sed universalem, ut ita dicam, Graecorum historiam posteritati tradere voluisse videatur. Id autem summo artificio assecutus est. Nam cum eam ob caussam animum ad conscribendum illud bellum iam statim ab initio, quo exortum erat, sese applicasse profiteatur, quod gravissimum id maximeque memorabile omnium, quae unquam antea a Graecis gesta fuerint, futurum speraverit, quo hoc facilius a lectoribus perspiciatur, cum omnibus superioribus temporibus illud comparat, et ita quidem comparat, ut primum de iis, quae bellum Troianum praecesserunt, deinde de hoc ipso bello, tum denique de iis, quae hoc secuta sunt, adiunctis etiam bellis Persicis, disputet. Qua in disquisitione quam acutum ac subtilem seu *κριτικὸν* se praebuerit iudicem rerumque existimatorem non opus est ut peritos moneam; siquidem illa viginti tria primi libri capita, quod vulgo prooemium vocari solet, singulare omni aetate exemplar perfecti historici subactique

[1]) Cic. de legg. I, 1, 5. — [2]) Ita Marcellinus saepissime, Suidas, alii. — [3]) Thuc. I, 22, 3.

DE

THUCYDIDE ET HERODOTO

QUAESTIONUM HISTORICARUM SPECIMEN.

Graeci cum omnibus artibus longe inter veteres populos praestiterunt, tum praecipue historiam et invenerunt, et ad summam paene perfectionem perduxerunt; omnium autem rerum scriptorum Thucydidem haud dubie principatum obtinuisse inter viros eruditos satis constat. Itaque Herodotum quidem patrem historiae [1]), Thucydidem vero τὸν συγγραφέα [2]), sicuti Homerum τὸν ποιητήν, κατ' ἐξοχὴν appellabant. Sed cum enarratio rerum bello Peloponnesiaco gestarum ipsa et ob summam, quam adhibuit, curam ac diligentiam in exquirendis pervestigandisque veris rationibus, quibus ingentem laborem [3]) et sumptus adeo impendit maximos, et ob uberrimam maximeque perspicuam explicationem atque explanationem summis semper efferretur laudibus, nihil tamen magis mihi quidem admiratione dignum videri solet, quam quod ea, quae huic bello praemissa primo libro continentur, perscripserit. In quo primum non solum veri studiosissimi et acutissimi historici munus omni ex parte explevit, sed etiam futuro cuivis rerum scriptori quid maxime spectandum, quid praestandum sit luculentissime ostendit. Deinde omnes propemodum res, quae ante illud bellum a Graecis terra marique gestae erant, quamvis paucis, tam diligenter complexus est, ut non modo bellum Peloponnesiacum ipsum, sed universalem, ut ita dicam, Graecorum historiam posteritati tradere voluisse videatur. Id autem summo artificio assecutus est. Nam cum eam ob caussam animum ad conscribendum illud bellum iam statim ab initio, quo exortum erat, sese applicasse profiteatur, quod gravissimum id maximeque memorabile omnium, quae unquam antea a Graecis gesta fuerint, futurum speraverit, quo hoc facilius a lectoribus perspiciatur, cum omnibus superioribus temporibus illud comparat, et ita quidem comparat, ut primum de iis, quae bellum Troianum praecesserunt, deinde de hoc ipso bello, tum denique de iis, quae hoc secuta sunt, adiunctis etiam bellis Persicis, disputet. Qua in disquisitione quam acutum ac subtilem seu κριτικὸν se praebuerit iudicem rerumque existimatorem non opus est ut peritos moneam; siquidem illa viginti tria primi libri capita, quod vulgo prooemium vocari solet, singulare omni aetate exemplar perfecti historici subactique

[1]) Cic. de legg. I, 1, 5. — [2]) Ita Marcellinus saepissime, Suidas, alii. — [3]) Thuc. I, 22, 3.

ingenii habebantur. Ad ipsas vero caussas, quae tantum, tam diuturnum tamque Graecis perniciosum bellum excitabant, enarrandas inde a capite vicesimo quarto transgressus, non satis esse duxit, superiorum historicorum more, ut Herodoti, eas solas quamvis fuse et copiose attulisse, quae ab Atheniensibus et Lacedaemoniis palam proferebantur (cap. 24—88), sed cum fictas ac simulatas a veris, quamquam oratione maxime occultatis, ingeniosissime (cap. 23) distinxisset, de his quoque non minus accurate ac diligenter disserendum iudicavit. Has igitur caussas, quae duae fuisse memorantur, et Atheniensium potentia ob studium rebus Persicis navatum magis magisque aucta, et Lacedaemoniorum ex hac ipsa re orta invidia ac metus, explicans Thucydides, totum illud quoque quinquaginta fere annorum spatium, quod inter Xerxis ex Graecia reditum et belli Peloponnesiaci initium intercessit [1]) et *πεντηκονταετηρίς* seu *πεντηκονταετία* a Grammaticis nominatur [2]), solita sua diligentia quantumvis paucis persequitur (cap. 88—118). Ita, quod supra dictum est, omnes Graecorum res hoc primo libro historicum nostrum partim uberius et copiosius exposuisse, partim breviter perstrinxisse atque attigisse videmus.

Sed in hunc scriptorem vel explicandum vel emendandum quamquam plurimum nostra maxime aetate operae ac studii ab editoribus insumptum esse negari non potest, haud pauca tamen in primo praecipue libro deprehendisse mihi videor, quae interpretis adhuc curae et auxilii indigeant. Quorum nonnullis, hac scribendi occasione oblata, si quid mihi lucis attulisse contigerit, iisque inprimis, in quibus Thucydides aliis aetatis suae scriptoribus maximeque Herodoto aperte repugnat, haud frustra me laborasse benevoli lectores iudicent. Itaque ad singula nos iam convertamus.

Lib. I. cap. 10. Ne quis ex eo, quod Mycenae, Agamemnonis summi omnium Graecorum ducis regia, parvum fuerit oppidum, expeditionem illam in Troianos factam non tantam fuisse colligat, quantam et poetae cecinerint et fama obtinuerit, nobilissimas potentissimasque Thucydides suae aetatis urbes, Spartam et Athenas, inter se comparat, ac de illa quidem, si esset devastata, longo interiecto tempore, non minus apud posteros dubitari posse contendit, num revera tanta eius fuerit potentia ac gloria. Tum ita pergit: *καίτοι Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται, τῆς τε ξυμπάσης ἡγοῦνται καὶ τῶν ἔξω ξυμμάχων πολλῶν.* Cui haec verba legenti non primo quasi adspectu probabile sit, *τὰς δύο μοίρας* cum scholiasta *τὴν Λακωνικὴν καὶ Μεσσηνιακὴν* esse explicandas? Atque haec quidem omnium olim videtur fuisse interpretum sententia (cf. Valcken. ad Herod. VII, c. 73). Sed difficillima statim oritur quaestio, quaenam illae sint quinque Peloponnesi partes. Nam etiamsi singulas quae illis certe temporibus in Peloponneso sui iuris erant urbes omittamus, ut Corinthum, Sicyonem, Phliuntem aliasque in Argolide sitas, ut Epidaurum et Troezenem, restant tamen sex partes, quas etiam Pomp. Mela de S. O.

---

[1]) Thuc. I, c. 118, 2: *ταῦτα δὲ ξύμπαντα, ὅσα ἔπραξαν οἱ Ἕλληνες πρός τε ἀλλήλους καὶ τὸν βάρβαρον, ἐγένετο ἐν ἔτεσι πεντήκοντα μάλιστα μεταξὺ τῆς Ξέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου.*

[2]) Schol. ad Thuc. I, c. 89 et 97.

III, 3, 4. enumerat: „*In Peloponneso Argolis, Laconice, Messenia, Achaia, Elis, Arcadia*“, totidemque leguntur apud Strabonem VIII, c. 2, § 2 et 3. Scholiastes sane ad nostrum locum quinque tantummodo affert: *Πελοποννήσου αἱ πέντε μοῖραι, Λακωνικὴ, Ἀρκαδικὴ, Ἀργολικὴ, Μεσσηνιακὴ καὶ τῆς Ἤλιδος*[1]) eumque secutus est Ac. Enenckel in annotationibus interpretationi suae latinae adnexis[2]). At vero quo iure eorum uterque Achaiam provinciam praeterierit, perspici nullo pacto potest. Quae etsi tunc nondum tanto erat ambitu, quanto postea mortuo Alexandro Magno, neque maioris habebatur in Graecorum rebus momenti, haud exiguam tamen Peloponnesi partem, duodecim urbes complectentem (unde *δωδεκάπολις* ut Ionia dicitur, Herod. VII, 95. Strabo. VIII, c. 7, § 1. Schol. ad Thuc. II, 9) obtinebat, cuius et apud Herodotum (VII, 94) mentio fit, et apud Thucydidem saepius; quin universi Achaei, cum bellum Peloponnesiacum iam gereretur, Lacedaemoniis se adiunxisse dicuntur, Thuc. II, c. 9: *Λακεδαιμονίων μὲν οἵδε ξύμμαχοι· Πελοποννήσιοι μὲν οἱ ἐντὸς Ἰσθμοῦ πάντες, πλὴν Ἀργείων καὶ Ἀχαιῶν· τούτοις δὲ ἐς ἀμφοτέρους φιλία ἦν· Πελληνῆς δὲ Ἀχαιῶν μόνοι ξυνεπολέμουν τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ ὕστερον καὶ ἅπαντες.* — Atque illud quoque me satis mirari non posse fateor, cur recentiorum plerique Achaiae nomine tantopere offendantur lib. I, c. 115 (*ἀναχωρήσαντες δὲ ἀπὸ Εὐβοίας, οὐ πολλῷ ὕστερον σπονδὰς ἐποιήσαντο πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους τριακοντούτεις, ἀποδόντες Νίσαιαν καὶ Πηγὰς καὶ Τροιζῆνα καὶ Ἀχαΐαν· ταῦτα γὰρ εἶχον Ἀθηναῖοι Πελοποννησίων.*), ut ad diversissimas audacissimasque emendationes abierint[3]); cum eos non modo omnium sine ulla varietate codicum consensus deterrere debuerit, sed illud maxime quod eadem verba lib. IV, c. 21 repetantur: *ἀποδόντας Λακεδαιμονίους Νίσαιαν καὶ Πηγὰς καὶ Τροιζῆνα καὶ Ἀχαΐαν.* Quamobrem Bredowio[4]) videbatur, ut priora urbium essent nomina, ita Achaia quoque urbis tantummodo nomen fuisse. At cuiusnam urbis, ne *γρῦ* quidem, ut aiunt; sic errore error nascitur. Nam tantum abest, ut ulla emendatione opus sit, ut mihi quidem verissima videatur codicum lectio. Quemadmodum lib. I, c. 111, 3 Achaei, in societatem ab Atheniensibus recepti, (*καὶ εὐθὺς παραλαβόντες*[5]) *Ἀχαιοὺς καὶ διαπλεύσαντες πέραν, τῆς Ἀκαρνανίας ἐς Οἰνιάδας ἐστράτευσαν καὶ ἐπολιόρκουν· οὐ μέντοι εἷλόν γε, ἀλλ᾽ ἀπεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου.*) non omnes sunt intelligendi, eodem etiam modo c. 115 ea sola Achaiae pars, quam Achaei illi incolebant, intelligenda est, cum praesertim singulae Achaiae urbes illa aetate, sicut pleraeque Peloponnesi provinciae, nondum in unum civitatis corpus essent con-

---

[1]) In ultimis verbis cum apertum insit vitium, nec *τὶ* addendum (*καί τι τῆς Ἤλιδος*) nec *μέρος* supplendum est cum H. Stephano, sed haud scio an articulus *ἡ* exciderit (*καὶ ἡ τῆς Ἤλιδος*) omisso substantivo vel, ut fere fit, *χώρα*, vel *μοῖρα* quod praecedit.

[2]) p. 473: „*Partes hae sunt: Arcadia, Argolica, Elis, Messenia, Laconica. Ex his duas postremas Lacedaemonii tenuere.*“ Valckenarius l. c. nomina illarum quinque regionum addere aut noluit aut non potuit.

[3]) Cf. Poppo in supplem. adnott. P. IV, p. 134. et Krueg. ad Thucyd. locum.

[4]) Ad Heilmanni versionem vernaculam T. II, p. 584.

[5]) Schol. *εἰς συμμαχίαν δηλονότι.*

iunctae. De eadem re Plutarch. v. Pericl. c. 19: *Ἐκ δ' Ἀχαΐας, φίλης οὔσης, στρατιώτας ἀναλαβὼν εἰς τὰς τριήρεις, ἐπὶ τὴν ἀντιπέρας ἤπειρον ἐκομίσθη τῷ στόλῳ, καὶ παραπλεύσας τὸν Ἀχελῷον, Ἀκαρνανίαν κατέδραμε καὶ κατέκλεισεν Οἰνεάδας* (leg. *Οἰνιάδας* cum Thuc. I, 111. II, 82 et 102) *ἐς τὸ τεῖχος, καὶ τεμὼν τὴν γῆν καὶ κακώσας ἀπῆρεν ἐπ' οἴκου.* Aristides cum saepius *Μέγαρα, Νίσαιαν, Τροιζῆνα, Πηγὰς, Ἀχαΐαν* eadem ratione, qua Thucydides I, 115 et IV, 21, commemoret, semel adeo *πᾶν τὸ Ἀχαϊκόν* habet[1]), quod tamen nihil aliud nisi *ῥητορικὴ ὑπερβολὴ* videtur. Quod vero Goellerus disputat: „*Tota* (de Achaia) *quaestio ad certam rationem deducitur eo, quod* IV, 21 *Cleonem legimus rogare Nisaeam, Pegas, Troezena et Achaiam a Spartanis repetendas esse. Quod qui sanus Cleon postularet a Spartanis, si Achaia provincia Peloponnesi intelligenda esset, quam terram ita constat liberam suique arbitrii fuisse, ut primis belli Pelop. annis in pace viveret, neutras partes belligerantium secuta? — Itaque mihi persuasum est Achaiam oppidi alicuius nobis incogniti nomen esse*“, non satis mihi vir doctissimus videtur animadvertisse, Cleonem ipsum quoque ibi ad idem tempus, quo triginta annorum indutiae inter Athenienses et Spartanos essent factae, respexisse, id quod ex ipsis Thucydidis, quae continuo sequuntur, verbis liquido patet: *ἃ (Νίσαιαν καὶ Πηγὰς καὶ Τροιζῆνα καὶ Ἀχαΐαν) οὐ πολέμῳ ἔλαβον, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς προτέρας ξυμβάσεως,* (eiusdem, quae iam I, 115 ab historico allata est) *Ἀθηναίων ξυγχωρησάντων κατὰ ξυμφορὰς καὶ ἐν τῷ τότε δεομένων τι μᾶλλον σπονδῶν*, ideoque de eadem ibi Achaiae parte cogitandum esse, cuius incolae in Atheniensium exercitu (I, 111.) stipendia facerent. —

Achaia igitur provincia cum ex Thucydide removeri nequeat, aliam Poppo V. Cl. enodandae huius difficultatis rationem ineundam ratus, Arcadia etiam Elidem comprehendi censet, Pausaniam in ea re secutus auctorem. Audiamus Popponem ipsum (P. I. Vol. II. p. 171 sq.): „*A Thucydide haec terra* (Peloponnesus) *in quinque partes dividitur* I, 10, *quas Achaiam, Arcadiam* (*quae etiam Elidem complectitur*), *Messeniam, Laconiam et Argolidem* (*cum Epidauro, Troezene, Sicyone, Corintho etc.*) *esse, e Pausania* V, 1, 1 *discimus, et quarum Lacedaemonii duas tenebant, et insuper totius principatum habebant.*“ Sed fontem ipsum, unde Poppo sua hausit, si quis diligentius consideraverit[2]), dubitare non poterit, quin Pausanias non illorum nobis hominum sententiam, sed suum modo de ea iudicium (*ἀνάγκη σφᾶς ὁμολογεῖν*) proponere voluerit. Pausaniae vero iudicio non temere ubique fidem esse habendam inter peritos convenit. Quis autem est, qui neget, multo probabilius esse, iis, qui Peloponnesum in quinque provincias dividi voluerunt, Laconicam cum Messenia quintam visam esse partem? Idque confirmatur quodammodo scholio Veneto et Didymi ad Hom. Il. *β*. v. 161: *Ἀργείην*, (i. e. *Ἑλένην*) *τὴν Πελοποννησίαν· ἡ γὰρ*

---

[1]) I, p. 151: *τοῖς δὲ Ἕλλησιν, ὧν ἐπὶ τοῦ πολέμου κατέστη κυρία (ἡ τῶν Ἀθηναίων πόλις), ταῦτα ἀπέδωκε, Μέγαρα, Τροιζῆνα, Πηγὰς, πᾶν τὸ Ἀχαϊκόν.* Poppo ad Thuc. I, c. 115.

[2]) Paus. V, c. 1. init. *Ὅσοι δὲ Ἑλλήνων Πελοποννήσου πέντε εἶναι μοίρας καὶ οὐ πλείονάς φασιν, ἀνάγκη σφᾶς ὁμολογεῖν, ὡς ἐν τῇ Ἀρκάδων οἰκοῦσιν Ἠλεῖοι καὶ Ἀρκάδες, δευτέρα δὲ Ἀχαιῶν, τρεῖς δὲ ἐπὶ ταύταις αἱ Δωριέων.*

Λακωνικὴ πέμπτον τῆς ὅλης Πελοποννήσου. Totius enim Peloponnesi pars quinta nulla alia ratione Laconice dici potest, quam Messenia cum Laconice in unam provinciam coniuncta; quae sententia apud Homerum certe extra omnem erroris aleam posita est, siquidem quas septem urbes Achilli dotem promisit Agamemnon (Hom. Il. ι. v. 149 sqq.) omnes in Messenia sitas fuisse constat (Strab. VIII, c. 4, § 1. Mannert. T. 8, p. 531 sq.); eadem tamen a Thucydidis mente, si de Messenia et Laconice tamquam duae fuissent Peloponnesi partes loqueretur, plane abhorreret. Verumenimvero historicum nostrum pro sua loquendi consuetudine, cum *τὰς δύο μοίρας νέμονται* scribit, ne potuisse quidem de duabus hisce Peloponnesi partibus cogitare, liquido contenderim. Nam ut nulla investigari potest caussa satis idonea, cur Arcadia cum Elide in unam comprehendatur provinciam, ita gravissimae reperiuntur, quae Laconicen etiam Messeniam complexam esse demonstrent. Primum enim ab omnibus illius temporis historicis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, saepius loca in Messenia sita Laconicae tribuuntur, cuius rei quae mihi exempla obvia sunt, iam in medio proponam: Herod. VIII, c. 73: *Δρυόπων δέ, Ἑρμιόνη τε καὶ Ἀσίνη ἡ πρὸς Καρδαμύλῃ τῇ Λακωνικῇ.* Cardamyle autem una est e septem illis Messeniae oppidis, de quibus modo dictum est [1]). Idem VII, c. 168: *Μόγις δὲ ἀναχθέντες (οἱ Κερκυραῖοι), προσέμιξαν τῇ Πελοποννήσῳ, καὶ περὶ Πύλον καὶ Ταίναρον γῆς τῆς Λακεδαιμονίων ἀνεκώχευον τὰς νέας.* Thucyd. II, c. 25: *Οἱ δ' ἐν ταῖς ἑκατὸν ναυσὶ περὶ Πελοπόννησον Ἀθηναῖοι — ἄλλα τε ἐκάκουν περιπλέοντες, καὶ ἐς Μεθώνην τῆς Λακωνικῆς ἀποβάντες, τῷ τείχει προσέβαλον ὄντι ἀσθενεῖ.* IV, c. 3: *Καὶ ὡς ἐγένοντο πλέοντες κατὰ τὴν Λακωνικὴν — ὁ Δημοσθένης ἐς τὴν Πύλον πρῶτον ἐκέλευε σχόντας αὐτούς, καὶ πράξαντας ἃ δεῖ, τὸν πλοῦν ποιεῖσθαι.* eadem plane ratione qua supra apud Herodotum VII, 168. Xenoph. Hellen. VI, c. 2, § 19: *Περὶ δὲ τὸν Μνασίππου θάνατον ἐτύγχανεν ὢν (ὁ Ἰφικράτης) τῆς Λακωνικῆς περὶ τὰς Σφαγέας* [2]). Tum vero diserte a scriptore nostro Messeniae ita tantum mentio fit, tamquam quae illis temporibus iam non amplius fuerit, ut IV, c. 41: *καὶ οἱ ἐκ τῆς Ναυπάκτου Μεσσήνιοι, ὡς ἐς πατρίδα ταύτην (ἔστι γὰρ ἡ Πύλος τῆς Μεσσηνίδος ποτὲ οὔσης γῆς) πέμψαντες σφῶν αὐτῶν τοὺς ἐπιτηδειοτάτους, ἐλῄζόν τε τὴν Λακωνικὴν καὶ πλεῖστα ἔβλαπτον, ὁμόφωνοι ὄντες.* IV, c. 3: *ἀπέχει γὰρ σταδίους μάλιστα ἡ Πύλος τῆς Σπάρτης τετρακοσίους, καὶ ἔστιν ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ ποτὲ οὔσῃ γῇ κ. τ. λ.* Quodsi, quae modo disputata sunt, vera esse concedamus, cum iam per haec verba *τὰς δύο μοίρας* significari non posse provincias Laconicen ac Messeniam manifestum sit, ne illae quidem quae hic memorantur quinque partes ad Peloponnesi provincias referri queunt. Quae cum ita sint, nihil aliud relinqui videtur, nisi ut illam explicationem, quam Bredowius primus proposuit quamque etiam Haackius et Kruegerus in suos usus converterunt, amplectamur, qua hoc loco non de politica quadam Peloponnesi descriptione ac divisione

---

[1]) Cf. Strab. l. c. ibidemque § 5. extr. Mannert. 8, p. 557 sq.

[2]) Leg. *Σφαγίας*, i. e. *Σφακτηρίαν*, insulam prope Pylum, e regione Messeniae, sitam. Strab. l. c. § 2. Ita etiam difficultas, quam Morus se solvere non posse fatetur (Examen quorumdam locorum Hist. Gr. Xenoph. p. XLV.) facile tollitur.

cogitandum est, sed ita haec verba accipienda, ut si tota Peloponnesus in quinque partes magnitudine fere aequales distribuatur, ex his duae fuerint in potestate ac ditione Lacedaemoniorum [1]). Neque vero quicquam habet offensionis articulus additus (τὰς δύο μοίρας). Cum enim Thucydides pro suo brevitatis studio nude τῶν πέντε dixerit, i. e. ex illis quinque partibus (in quas universam dividi Peloponnesum apud animum tuum statuas), non potuit non τὰς δύο μοίρας νέμονται cum articulo Graecorum loquendi more scribere, i. e. has duas (quintas) partes (quas in sua habent ditione) possident. Sic. I, c. 74: ναῦς μέν γε ἐς τὰς τετρακοσίας ὀλίγῳ ἐλάσσους τῶν δύο μοιρῶν (παρεσχόμεθα). Ibidem c. 104: καὶ ἀναπλεύσαντες ἀπὸ θαλάσσης ἐς τὸν Νεῖλον, τοῦ τε πολέμου κρατοῦντες καὶ τῆς Μέμφιδος τῶν δύο μοιρῶν, πρὸς τὸ τρίτον μέρος, ὃ καλεῖται Λευκὸν τεῖχος, ἐπολέμουν [2]). — Iam vero ad totam rem quae in disquisitionem venit conficiendam illud solum superest, ut veram esse Thucydideam computationem ostendatur. Ac Mannertum quidem, totius paeninsulae Peloponnesiacae magnitudinem ex trecentis quinquaginta fere milliariis geographicis constare existimantem (T. VIII, p. 348), parum accurate subduxisse calculos, ex ipsius verbis facile cognosci potest. Etenim si, quae de singularum Peloponnesi partium spatiis disseruit (l. c. p. 355, 373, 384, 413, 479, 529, 559, 636), eorum summam confeceris, quamquam Phliasia regione sane parvula omissa, iam trecenta undenonaginta circiter milliaria geographica efficientur. Cum vero Laconice, adiecta Messenia, paullo plus centum quinquaginta milliaria geographica complectatur (Mannert. l. c. p. 529 et 559), si toti Peloponneso fere trecenta nonaginta, Laconicae cum Messenia centum quinquaginta sex fere milliaria geographica adsignaveris, hac quoque in re accuratissimam Thucydidis diligentiam rursus agnoscas oportebit. Ceterum haud alienum fortasse fuerit lectorem monere, et ipsum Mannertum nostrae huius loci explicationi nulla suspicione iniecta consentire (ibidem p. 560).

Eodem capite § 4: πεποίηκε γὰρ (Homerus) χιλίων καὶ διακοσίων νεῶν, τὰς μὲν Βοιωτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν [3]), τὰς δὲ Φιλοκτήτου πεντήκοντα [4]), δηλῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τὰς μεγίστας καὶ τὰς ἐλαχίστας· ἄλλων γοῦν μεγέθους πέρι ἐν νεῶν καταλόγῳ οὐκ ἐμνήσθη. Haec disputandi atque argumentandi ratio tantum abest, ut iure nobis non debeat satisfacere, quam Popponis fuisse sententiam video [5]), ut non modo sola sit, ex qua de universo Graecarum copiarum numero aliquid erui

---

[1]) „Wenn man sich den Peloponnes (verba sunt Bredowii l. c. T. I, p. 19) in fünf ungefähr gleiche Theile getheilt denkt, besitzen die Lacedaemonier deren zwei. An politische Eintheilung ist nicht zu denken."

[2]) De hoc Articuli in numeralibus usu vid. inprimis Goeller. ad Thuc. I, 116, tum Poppo P. I. V. I. p. 200 sq. Rost. Grammat. Gr. § 98, B, p. 456, e. Krueg. ad nostrum Thuc. locum.

[3]) Hom. Il. β. v. 509 sq. — ἐν δὲ ἑκάστῃ,
κοῦροι Βοιωτῶν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι βαῖνον.

[4]) Ibid. v. 719: — ἐρέται δ' ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα
ἐμβέβασαν.

[5]) *„Totum autem argumentum* (inquit ille), *quo Thucydides maximas et minimas naves ab Homero nominatas esse comprobet, ex silentio de ceterarum magnitudine petitum, non firmissimum esse, vix est cur moneam."*

possit, sed eandem subtilissime adeo excogitatam concedendum sit. Nec tamen id tam pro argumento cum Poppone, quam pro coniectura ingeniosissima habendum est. Hoc vero non praetermittendum duxi (quod interpretes ad h. l. fugisse miror), etiam numerum militum, qui in singulis Achillis navibus erant, ab Homero, etsi non in catalogo navium, diserte commemorari, Il. π, v. 169 sq.

— ἐν δ' ἄρ' ἑκάστῃ
πεντήκοντ' ἔσαν ἄνδρες ἐπὶ κληῖσιν ἑταῖροι.

ideoque ἐν νεῶν καταλόγῳ addidisse Thucydidem videri, neutiquam ob eam quam scholiastes attulit caussam: ἔστι γὰρ καὶ ἀνδρῶν παρ' αὐτῷ κατάλογος. Sed Thucydidis de numero Graecorum argumentatio, tametsi his duobus solis ex catalogo navium Homeri locis nititur, tamen ne illo quidem tertio eiusdem poetae loco addito quicquam in computatione ab historico inita immutari satis apparet.

Cap. 11: ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν, (δῆλον δέ· τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο·) φαίνονται δ' οὐδ' ἐνταῦθα πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι, ἀλλὰ πρὸς γεωργίαν τῆς Χερσονήσου τραπόμενοι καὶ λῃστείαν τῆς τροφῆς ἀπορίᾳ. Id profecto cum iam per se verisimile sit, Troianos Graecis in terram suam escendentibus restitisse, et proelio demum devictos ita recessisse, ut navigia litori appelli possent, tum etiam ex Homero ipso quodammodo colligitur, quod iam scholiastes videtur sensisse, ad verba μάχῃ ἐκράτησαν haec subiiciens: τῇ τῆς ἀποβάσεως εἰς τὴν ξηρὰν τῶν νεῶν, ἐν ᾗ Πρωτεσίλαος πίπτει. De quo vates, cum dicat Il. β. v. 701 sq. — τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνήρ,

νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν,

quis est qui non videat, non ducem solum Protesilaum a Dardano quodam interfectum esse, sed proelio in litoris appulsu commisso cum multis aliis suorum saltem militum cecidisse? Eustathius ad l. c.: τὸ δὲ πολυπρώτιστον πρὸς διαστολὴν εἴρηται· πολλῶν γὰρ ἐκθορόντων καὶ πεσόντων ἀεὶ πρῶτος ὁ πρό τινος πίπτων· πολὺ δὲ πρώτιστος ὁ Πρωτεσίλαος, et ut posterioris aetatis scriptorem Io. Tzetzam (Antehom. v. 250—51) non commemoremus, iam apud Ovidium poetam, haud dubie Cyclicos poetas[1]) secutum, aperte illius pugnae mentio fit, Metam. XII, v. 66 sqq.

— Prohibent aditu, litusque tuentur
Troës, et Hectorea primus fataliter hasta,
Protesilaë, cadis, commissaque proelia magno
stant Danais, fortisque animae nece cognitus Hector[2]).

Sed quod a Thucydide affertur argumentum (τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο) difficultatem habet haud exiguam, cum quo te cunque verteris, quidnam scriptor munimenti indicare voluerit, haud facile ad liquidum perduxeris. Nam illum murum ac fossam, quae Nestore auctore navibus Graecorum circumdaban-

[1]) Cf. quae infra ex Procli chrestomathia citantur, p. 8, not. 4.

[2]) Nam ille Δάρδανος ἀνήρ apud Homerum Hector ipse a veteribus dicitur, quamquam et alii nonnulli, de quibus vid. Eustath., et scholia apud Bekkerum ad Il. β. v. 701. Verumtamen si quid coniecturae tribuendum, Aeneam potius, quippe qui Dardanorum dux fuerit, quam Hectorem Troianorum ducem ab Homero indicari malis. Il. β. 816 et 819.

tur, nostro loco intelligi non posse, rectissime iam monuit scholiastes (*ἔρυμα λέγει νῦν οὐχ ὅπερ ἐν τῇ η' λέγει Ὅμηρος γενέσθαι*), utpote quae decimo demum belli Troiani anno facta sint. Cum vero ita schol. pergat: *ἀλλὰ πρότερον μικρότερον διὰ τὰς τῶν βαρβάρων ἐπιδρομάς*, omnes quidem recentiores interpretes assensione sua id comprobarunt, sed tamen nec ille nec hi quicquam, quo hoc demonstrari ullo pacto queat, invenerunt. Neque enim ullum deprehenditur apud Homerum vestigium munitionis ante illud tempus exstructae. Heynii autem ratio, negationem *οὐκ* in Thucydidis verbis delendam iudicantis [1]), nequaquam admittenda est, cum non scholiastae solum lectioni et explicationi, verum etiam Thucydidis ipsius consilio ac sententiae prorsus repugnet. Neque minus ea videntur improbanda, quae Siebelis [2]) illi emendationi opposuit, his verbis: „*Sed si hoc munimentum eam ob causam in dubium vocare velimus, quod nulla eius apud Homerum mentio est, vereor ne quis sequentia πρὸς γεωργίαν Χερσονήσου τραπόμενοι eodem iure possit in suspicionem adducere.*“ Aliud est enim casu ac fortuito aliquid praeterire, aliud consulto ac de industria omittere. Quemadmodum ob commeatus inopiam (*τῆς τροφῆς ἀπορίᾳ*) ad latrocinia se converterunt Achaei, quod sane cum auditoribus suis Homerus, cuius hoc ab illis sciri multum interesset, communicare et voluit et debuit (Il. *α*. v. 163—171. *ι*. v. 328 sqq. Od. *γ*. v. 105—6); ita eandem ob caussam agrum Chersonesi proxime situm ab Achaeis cultum fuisse, quo plus centum milibus hominum per decem annos victus quotidianus praeberetur, etsi non commemoratur, per se certissimum est; casu igitur illud praetermisisse poeta putandus est. Itaque a scholiasta etiam duces quidam eorum, qui agris colendis operam dederint, nostro loco nominantur, quibus teste Eustathio ad Il. *ε*. v. 4 (p. 387 ed. Basil. p. 512 ed. Rom.) etiam Diomedes addendus est [3]). Sed huius munimenti, quod hic in controversiam vocatur, prorsus alia est ratio. Nec tamen illud urgendum censeo, quod quisquis ex Cyclicis poetis Cypria carmina scripsit, sive is Stasinus sive Hegesias fuit (quin etiam ipse Homerus, etsi iniuria, auctor nominatur), nihil de ista Graecarum navium munitione comperisse videatur, quam de oppugnando Ilio agens non plane omissurus fuerit [4]). Ipsi adeo Homero nihil eiusmodi operis innotuisse ex plurimis Iliadis locis manifesto perspicitur. Nam primum et a Nestore, qui post primam pugnam decimo belli Troiani anno commissam munimentorum exstruendorum auctor fuit, haec affertur caussa, ut tum propugnaculum

---

[1]) Beschreibung der Ebene von Troja von Lechevalier, ad p. 268. not. 1.

[2]) Observationes criticae in Hellenica p. 35.

[3]) *τὰ γὰρ πρὸ τούτου ἐπεσκοτεῖτο οἷον ὑπὸ τῆς Ἀχιλλέως ἀρετῆς, ἢ καὶ διότι ἐν τῷ φθάσαντι χρόνῳ τὴν Θράκην ἐγεώργει, ὥς τινες ἱστοροῦσι, καὶ οὐκ ἦν ἐμφιλοχωρῶν τῷ πολέμῳ.* Praeterea vid. schol. Vict. apud Bekk. ad Il. *ε*. v. 2.

[4]) Cf. quae ad Io. Tzetzae Anteh. Hom. et Posthom. ex rec. I. Bekkeri e Procli Chrestomathia p. IX. allata sunt: *Ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον εἴργουσιν οἱ Τρῶες, καὶ θνήσκει Πρωτεσίλαος ὑφ' Ἕκτορος. Ἔπειτα Ἀχιλλεὺς αὐτοὺς τρέπεται ἀνελὼν Κύκνον τὸν Ποσειδῶνος· καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναιροῦνται καὶ διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας, τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες. ὡς δὲ οὐχ ὑπήκουσαν ἐκεῖνοι, ἐνταῦθα δὴ τειχομαχοῦσιν. ἔπειτα τὴν χώραν ἐπεξελθόντες πορθοῦσι καὶ τὰς περιοίκους πόλεις.*

sit navium atque hominum, quasi nullum illo tempore aliud fuerit [1]), tum fossa praeducta impedimento sit hostibus, ne bellum Troianorum ingravescat, tamquam aliter id sine dubio futurum [2]); et Neptunus cum Iove queritur, quod Achivi, nullo diis oblato dono, murum ac fossam perfecerint, quodque illius muri fama toto orbe terrarum mansura, cum eius, qui ab ipso et Apolline Laomedonti regi excitatus sit, in oblivionem venturi sint homines [3]); et Iuppiter eum consolari studet, dato consilio, ut reversis in patriam Achaeis murum confestim subvertat [4]), nulla alterius Graecorum munimenti ab alterutro deo facta mentione. Deinde pinnis a Sarpedone detractis portaque ab Hectore effracta (libro XII), statim ad ipsas naves (libro XIII) dimicatur, ut e. gr. v. 679 sqq. de Hectore dicitur:

ἀλλ᾽ ἔχεν, ᾗ τὰ πρῶτα πύλας καὶ τεῖχος ἐσᾶλτο,
ῥηξάμενος Δαναῶν πυκινὰς στίχας ἀσπιστάων·
ἔνθ᾽ [5]) *ἔσαν Αἴαντός* [6]) *τε νέες καὶ Πρωτεσιλάου,*
θῖν᾽ ἐφ᾽ ἁλὸς πολιῆς εἰρυμέναι· αὐτὰρ ὕπερθεν,
τεῖχος ἐδέδμητο χθαμαλώτατον [7]), *ἔνθα μάλιστα*
ζαχρηεῖς γίγνοντο μάχῃ αὐτοί τε καὶ ἵπποι.

atque adeo ignis in Protesilai navem omnium longissime in terram protractam nec procul a muro distantem sine ullo iam impedimento vel difficultate coniicitur [8]). Huc illud quoque accedit, quod Achilles et Aiax Telamonius extremis *ναυστάθμου* partibus ad promontoria Sigeum et Rhoeteum naves suas subduxisse traduntur, fortitudine et manuum robore freti [9]). At vero si castra Graecorum iam antea fuissent munita, non plus requirerent virium extremae partes quam media. Contra nuda et aperta castra utroque maxime cornu fortissimorum virorum praesidio a subitis hostium incursionibus erant defendenda. Sic Eustathius l. c. (ad v. 5): *αἱ μέντοι τῶν ἀνδρειοτάτων Αἴαντός τε καὶ Ἀχιλλέως κλισίαι ἐν ἐσχάτῳ ἵσταντο. φησὶ γάρ· οἳ ἔσχατα, ἤγουν εἰς τὰ ἄκρα, νέας εἶσας εἴρυσαν, ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν· ὧν ἦν χρεία μάλιστα*

---

[1]) Il. *η*. v. 337 sq. — *ποτὶ δ᾽ αὐτὸν δείμομεν ὦκα*
πύργους ὑψηλούς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν.
et distinctius ibid. v. 436 sq.: — *ποτὶ δ᾽ αὐτὸν τεῖχος ἔδειμαν,*
πύργους θ᾽ ὑψηλούς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν.

[2]) Ibid. v. 341 sqq. *ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ὀρύξομεν ἐγγύθι τάφρον,*
ἥ χ᾽ ἵππους καὶ λαὸν ἐρυκάκοι ἀμφὶς ἐοῦσα,
μήποτ᾽ ἐπιβρίσῃ πόλεμος Τρώων ἀγερώχων.

[3]) Ibid. v. 448 sqq.

[4]) Ibid. v. 459 sqq. et *μ*. v. 3—33.

[5]) Eustath. *ἔνθα πρὸς τῷ τείχει Αἴαντός τε νέες καὶ Πρωτεσιλάου.*

[6]) Schol. Ven. *ἡ διπλῆ, ὅτι τοῦ Λοκροῦ λέγει Αἴαντος· οὗτος γὰρ ἐνεώλκει πλησίον τοῦ Πρωτεσιλάου.* Nam Aiacis Telamonii naves in sinistro cornu ad Rhoeteum promontorium erant subductae.

[7]) Scholia apud Bekk. *ἦν δὲ χθαμαλὸν διὰ τὸ ἀφῃρῆσθαι τῆς ἐπάλξεως ὑπὸ Σαρπηδόνος, ἢ ὡς πρὸς σύγκρισιν τοῦ πολυανδρίου, ὡς ἐπειγομένως ποιήσαντες οὐκ ἐξωμάλισαν αὐτό· διὸ καὶ ἡ ὑπέρβασις τοῖς βαρβάροις δυνατὴ γέγονεν.*

[8]) Il. *ο*. v. 704—718, *π*. v. 120 sqq.

[9]) Il. *λ*. v. 8 sq. — *τοί ῥ᾽ ἔσχατα νῆας εἶσας*
εἴρυσαν, ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν.

τοῖς ἐν τῷ ἄκρῳ, ἵνα μήτε αὐτοὶ ταῖς τῶν ἐχθρῶν ἐφόδοις βλάπτωνται, καὶ τὸ μέσον δὲ συντηρῶσι δεδιότων τῶν ἐχθρῶν τὴν κύκλωσιν. et schol. Vict. ad v. 8: τεῖχος τῶν ἄλλων νεῶν ἐποίησαν τὰς ἰδίας, ὡς καὶ αὐτοὶ τῶν Ἀχαιῶν ἦσαν. Denique ea quoque, quae Achilles nova Graecorum opera, murum fossamque, deridens edisserit, cum laudum suarum iactator dicit, Hectorem, cuius impetus iam ab Agamemnone nihilo magis sustineri queat, quamdiu ipse inter Argivos pugnaverit, procul ab urbe proelium conserere noluisse (Il. ι. v. 348—355), nimis frigida ac ieiuna essent, si ante illud tempus ullo praesidio firmata esse castra existimarentur. Verissime enim scholiastae: μείζων δὲ ἄρα τοῦ τείχους Ἀχιλλεύς, εἴ γε τούτῳ μὲν ἐπαυλίζεται ὁ Ἕκτωρ, ἐκεῖνον δὲ ἔφευγεν. His igitur, quos modo congessimus Homeri locos, qui cum multis aliis facile augeri possunt, tum inprimis memoratu dignum illud Hectoris Il. ν. v. 143 sq. [1]), satis demonstratum putamus, Homero ipsi alterum navium munimentum plane ignotum fuisse. Idem vero a veteribus quoque, certe a Strabone, confirmatur, qui novum Ilium a vetere discernendum ostendens haec scribit: (XIII, § 36, p. 598 ed. Casaub.) καὶ μὴν τό γε ναύσταθμον τὸ νῦν ἔτι λεγόμενον πλησίον οὕτως ἐστὶ τῆς νῦν πόλεως, ὥςτε θαυμάζειν εἰκότως ἄν τινα, τῶν μὲν (i. e. τῶν Ἑλλήνων) τῆς ἀπονοίας, τῶν δὲ (i. e. τῶν Τρώων) τοὐναντίον τῆς ἀψυχίας· ἀπονοίας μέν, εἰ εἰς τοσοῦτον χρόνον ἀτείχιστον αὐτὸ εἶχον, πλησίον οὔσης τῆς πόλεως καὶ τοσούτου πλήθους, τοῦ τ' ἐν αὐτῇ καὶ τοῦ ἐπικουρικοῦ· νεωστὶ γὰρ γεγονέναι φησὶ τὸ τεῖχος· ἢ οὐδ' ἐγένετο· ὁ δὲ πλάσας ποιητὴς ἠφάνισεν, ὡς Ἀριστοτέλης φησίν· (respiciens haud dubie ad ea, quae de evertendo muro Iliadis libro XII statim ab initio praedicuntur) ἀψυχίας δέ, εἰ, γενομένου τοῦ τείχους, ἐτειχομάχουν, ὡς εἰςέπεσον εἰς αὐτὸ τὸ ναύσταθμον, καὶ προςεμάχοντο ταῖς ναυσίν· ἀτείχιστον δὲ ἔχοντες, οὐκ ἐθάῤῥουν προσιόντες πολιορκεῖν, μικροῦ τοῦ διαστήματος ὄντος. Quae Eustathius cum excerpserit (ad Il. ε. v. 791 p. 463), et ipse ea probasse haud immerito videatur. Quamobrem recentiores interpretes a scholiasta, istorum hominum more, aliud nescio quod munimentum fingente ac comminiscente, in errorem esse inductos contendere non dubitaverim, praesertim cum illud ἔρυμα tamquam rem notissimam certissimamque neque ulli dubitationi obnoxiam historicus noster argumentationi suae inseruerit. Itaque videndum, ne ἔρυμα h. l. non tam munimentum (Verschanzung) quam praesidium (Schutzwehr) sit, et in universum idem significet quod νεώλκιον seu castra navalia, quae tamen et ipsa firmata et quodammodo munita fuisse Homerus ipse nos docebit; illud autem τῷ στρατοπέδῳ non „*castris*", sed „*exercitui*" interpretandum sit; ut totius loci sensus ita procedat: „*Cum vero classe appulsa proelio vicissent — id vero manifestum est: alioquin castra (sive praesidium) exercitui munire non potuissent* [2]) — *at ne tum quidem cunctis eos viribus usos, sed ob commeatus inopiam ad colendos*

---

[1]) ὡς Ἕκτωρ εἵως μὲν ἀπείλει, μέχρι θαλάσσης
ῥέα διελεύσεσθαι κλισίας καὶ νέας Ἀχαιῶν
κτείνων.

[2]) Contra Ac. Enenckel: „*alias qui vallum castris circumdedissent?*" et Aem. Portus: „*nec enim vallo fossaque castra munivissent.*"

Chersonesi agros et ad latrocinia sese convertisse constat." De hac autem vocabuli *ἐρύματος* vi, quippe quae ei propria sit, quoniam nihil attinet omnino disserere, iam ea quae ex Homeri carminibus ad confirmandam explicationem nostram indagari potuerunt vestigia apponamus. Naves igitur Graecorum in agro Troiano non nudo solo stabant, sed longis trabibus vel phalangis, quasi fundamentis quibusdam, substratis, Il. α. v. 485 sq.

νῆα μὲν οἵγε μέλαιναν ἐπ' ἠπείροιο ἔρυσσαν
ὑψοῦ ἐπὶ ψαμάθοις, ὑπὸ δ' ἕρματα μακρὰ τάνυσσαν.

Ubi Eustathius: *Εἰσὶ δὲ νῦν ἕρματα τὰ ὑποκείμενα ταῖς ναυσὶν ἐκ ξύλων ἐρείσματα, ἐφ' ὧν αἱ νῆες ἐρείδονται, ἃ δὴ κατὰ τεχνικήν τινα γλῶτταν καλοῦσιν οἱ πολλοὶ φαλάγγια,* i. e. *φάλαγγες*, phalangae, apud nos: Walzen. Ibid. β. 151 sqq.

— τοὶ δ' ἀλλήλοισι κέλευον,
ἅπτεσθαι νηῶν, ἠδ' ἑλκέμεν εἰς ἅλα δῖαν,
οὐροὺς τ' ἐξεκάθαιρον· ἀϋτὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν
οἴκαδε ἱεμένων· ὑπὸ δ' ᾕρεον ἕρματα νηῶν.

Apollon. lex. Hom. s. v. *οὐρός· λέγει καὶ οὐροὺς, τοὺς τόπους ἐν οἷς ἐνεώλκηνται αἱ νῆες· παρὰ τὸ ἑλκομένας τὰς ναῦς ὀρούειν εἰς τὴν θάλασσαν.* ad quae Villois.: „*Dicuntur et νεώρια, navalia.*" Similiter scholia explicant: *τὰ ταφροειδῆ ὀρύγματα, δι' ὧν αἱ νῆες καθέλκονται εἰς τὴν θάλασσαν.* Castra vero ipsa non temere ac fortuito, sed certo et prudenti quodam consilio locata, et navigia artificioso quodam ordine fuisse disposita videntur, idque colligi posse opinor ex Homeri loco quamquam paullo obscuriore, Il. ξ. v. 30—36:

πολλὸν γάρ ῥ' ἀπάνευθε μάχης εἰρύατο νῆες[1])
θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς· τὰς γὰρ πρώτας[2]) *πεδίονδε*
εἴρυσαν, αὐτὰρ τεῖχος ἐπὶ πρύμνῃσιν ἔδειμαν[3]).
οὐδὲ γὰρ οὐδ', εὐρύς περ ἐών, ἐδυνήσατο πάσας
αἰγιαλὸς νῆας χαδέειν· στείνοντο δὲ λαοί.
τῷ ῥα προκρόσσας ἔρυσαν, καὶ πλῆσαν ἁπάσης
ἠϊόνος στόμα μακρόν, ὅσον συνεέργαθον ἄκραι.

Nam naves *προκρόσσας*, quales sint, scholia Veneta, ut ceteri interpretes veteres omittantur, optime explanarunt: *τὰς κλιμακηδὸν νενεωλκημένας ἑτέρας πρὸς ἑτέρων, ὥςτε θεατροειδὲς φαίνεσθαι τὸ νεώλκιον· κρόσσαι γὰρ αἱ κλίμακες.* idque alio Homeri loco confirmatur, Il. κ. v. 66 — *πολλαὶ γὰρ ἀνὰ στρατόν εἰσι κέλευθοι*[4]). Eadem ratione hoc adiectivum *πρόκροσσαι* de Xerxis navibus adhibetur ab Herodoto lib. VII, c. 188:

---

[1]) Naves sunt Diomedis, Ulyssis, Agamemnonis, in litore prope mare constitutae, Il. ι. v. 43 sq.:
— νῆες δέ τοι ἄγχι θαλάσσης
ἑστᾶσ', αἵ τοι ἕποντο Μυκήνηθεν μάλα πολλαί.

[2]) Ut Protesilai et Aiacis Oilei, cf. supra p. 9. not. 5 et 6.

[3]) Murus igitur Nestoreus non totam navium longitudinem obtinebat ab uno promontorio usque ad alterum, id quod iam per se a verisimilitudine nimis abhorreret, sed primam tantum illarum seriem et fortasse in semicirculi maxime speciem complectebatur.

[4]) Lechevalier l. c. p. 146 sqq.

αἱ μὲν δὴ πρῶται τῶν νεῶν ὥρμεον πρὸς γῇ, ἄλλαι δ' ἐπ' ἐκείνῃσι ἐπ' ἀγκυρέων· ἅτε γὰρ τοῦ αἰγιαλοῦ ἐόντος οὐ μεγάλου, πρόκροσσαι ὁρμέοντο ἐς πόντον, καὶ ἐπὶ ὀκτὼ νέας. ubi vid. Schweigh. De his igitur castris tanto artificio collocatis ac communitis Thucydides nostro quidem iudicio ibi egisse putandus est.

In iis, quae paullo post sequuntur (*περιουσίαν δὲ εἰ ἦλθον ἔχοντες τροφῆς, καὶ ὄντες ἀθρόοι ἄνευ λῃστείας καὶ γεωργίας ξυνεχῶς τὸν πόλεμον διέφερον, ῥᾳδίως ἂν μάχῃ κρατοῦντες εἷλον· οἵ γε καὶ οὐκ ἀθρόοι, ἀλλὰ μέρει τῷ ἀεὶ παρόντι ἀντεῖχον· πολιορκίᾳ δ' ἂν προςκαθεζόμενοι, ἐν ἐλάσσονί τε χρόνῳ καὶ ἀπονώτερον τὴν Τροίαν εἷλον.*) ea videtur, quemadmodum vulgo accipiuntur, redundantia ac paene *ταὐτολογία* inesse, vix ut apud ullum alium scriptorem ferri possit, Thucydideum vero disserendi genus minime agnoscas. Nam cum scripserit *ῥᾳδίως ἂν μάχῃ κρατοῦντες εἷλον*, haec verba *ἐν ἐλάσσονί τε χρόνῳ καὶ ἀπονώτερον τὴν Τροίαν εἷλον* languidius iterari concedendum est. Itaque Poppo: „*Nobis*" (inquit) „*verba πολιορκίᾳ — τὴν Τροίαν εἷλον languere, et priora πολιορκίᾳ προςκαθεζόμενοι verborum εἰ ὄντες ἀθρόοι ἄνευ λῃστείας καὶ γεωργίας ξυνεχῶς τὸν πόλεμον διέφερον, sicut posteriora ἐν — Τροίαν εἷλον superiorum ῥᾳδίως ἂν εἷλον repetitionem videntur continere. Quare haud scimus an haec enunciatio suspecta esse debeat.*" Sed ut haec verba si deessent, haud facile quemquam desideraturum fuisse fateamur, tamen non solum prius illud *εἷλον* tam nude positum, omisso obiecto *τὴν Τροίαν*, offensioni esse debet, verum, ut de omnium codicum consensu taceatur, illud maxime obstat, quod cum iam hoc *ἐν ἐλάσσονί τε χρόνῳ καὶ ἀπονώτερον τὴν Τρ. εἷλον* a prioribus *ῥᾳδίως ἂν μάχῃ κρατοῦντες εἷλον* discrepat, tum praecipue illud *πολιορκίᾳ δ' ἂν προςκαθεζόμενοι* nimis abhorret ab hac sententia *εἰ — ὄντες ἀθρόοι ἄνευ λῃστείας καὶ γεωργίας ξυνεχῶς τὸν πόλεμον διέφερον*, ut quomodo haec a sciolo vel grammatico nescio quo profecta potuerint nequaquam appareat. Etiam Kruegero verba *πολιορκίᾳ — εἷλον* mira videbantur, isque locum emendatione sanandum ratus, aeque facilem atque ingeniosam proposuit, ut deleto priore *εἷλον* et particula *δέ* legatur: *ῥᾳδίως ἂν μάχῃ κρατοῦντες, οἵ γε — ἀντεῖχον, πολιορκίᾳ ἂν προςκαθεζόμενοι — τὴν Τροίαν εἷλον.* Ita unam sane habemus enuntiationem, sed sibi ipsi, si quid video, repugnantem. Nam alterutra certe re opus non erat, vel obsidione, si hostes proelio facile devinci potuissent, vel victoria, si urbem Graeci in obsidione tenere voluissent. Ut dicam quod sentio, rectissime se habent omnia quae apud Thucydidem leguntur, tantumque abest, ut quicquam in disserendo redundet ac superfluat, ut usitatam illam scriptoris brevitatem hic quoque admirari soleam. Verum enim iam Heilmannus perspexit sensum, modo nexus continuatioque sententiarum accuratius explanetur et coarctatum ac densum dicendi genus dilatetur et explicetur. Graecis, inquit ille, ob inopiam dispersis (tum agri colendi, tum latrociniorum faciendorum caussa) facilius per decem annos vi resistebant Troiani, iis qui subinde relinquebantur, viribus pares. Quodsi sufficiente commeatu, viribus coniunctis, missis latrociniis et agricultura, continuo bellum perficere vellent, facile hostibus proelio devictis Troiam cepissent; qui quidem vel non coniuncti ea, quae forte remanebat, copiarum parte resistebant. Sin obsidione eam clausissent, breviore tempore et mi-

nore labore expugnassent. Iam vides verba *πολιορκίᾳ δ' ἂν προςκαθεζόμενοι* illis opponi *εἰ ξυνεχῶς τὸν πόλεμον διέφερον*, et posita esse pro *εἰ δὲ πολιορκίᾳ προςεκαθέζοντο*, qua participii et verbi finiti permutatione nihil est apud hunc scriptorem frequentius [1]); deinde quae initio praemissa sunt *περιουσίαν δὲ εἰ ἦλθον ἔχοντες — γεωργίας* ad totam pertinere periodum, nec minus ad ea, quae de obsidione dicuntur, hoc modo: *περιουσίαν δὲ εἰ ἦλθον ἔχοντες τροφῆς, καὶ ὄντες ἀθρόοι ἄνευ λῃστείας καὶ γεωργίας πολιορκίᾳ προςεκαθέζοντο, ἐν ἐλάσσονί τε χρόνῳ καὶ ἀπονώτερον ἂν τὴν Τροίαν εἷλον.*; denique illa sibi respondere *ῥᾳδίως ἂν εἷλον* et *ἀπονώτερον ἂν εἷλον*, ut accusativus *τὴν Τροίαν* ad utrumque membrum sit referendus. Duabus enim rationibus res Troianas institui potuisse ait historicus, vel bello uno tenore peragendo, tum sane pro virium multitudine Graecos bello superiores facile urbem capturos fuisse; vel iusta obsidione urbem premendo, sed tum quoque etiamsi non facile, tamen et breviore tempore (quam decem annorum intervallo) et minore opera (quam revera impensa esse traditur) illam fuisse expugnaturos.

Nunc transeamus ad cap. 20, ubi levitas hominum a scriptore carpitur, etiam domesticis in rebus, iis quae ab aliis tradita sint, nulla adhibita veri investigatione, fidem habentium ideoque in gravissimos errores incidentium; neque id vulgi modo esse vitium ostenditur, sed ceterorum etiam Graecorum, et in rebus adeo vetustate nondum obliteratis. Hic vero permirum nobis videri debet, quod quae huius culpae vel incuriae exempla a Thucydide afferuntur, etiam in Herodotum cadere videamus. Huc adde alium multo etiam graviorem locum ex Herodoti lib. VI, c. 98, ubi cum Datis et Artaphernes, navibus ex Deli insulae portu solutis, ingenti exercitu ad evertendas urbes Eretriam atque Athenas navigarent, insulam illam terrae motu concussam esse refert, quod, quemadmodum Delii dixissent, neque unquam antea nec postea ad suam usque aetatem factum esset [2]). Cui narrationi ex diametro, ut aiunt, opposita sunt ea, quae a Thucydide sub initio belli Peloponnesiaci accidisse traduntur. Is enim cum multa oracula ac vaticinia et inter populos belligeraturos et in aliis civitatibus circumferri in universum et verbo tantum commemoret, hoc prodigium diligentius et quasi de industria atque iisdem paene verbis quibus Herodotus persequitur, Delum paullo ante motam esse, quae nunquam prius post hominum memoriam tremuisset [3]). Itaque iam scholiastes, tanta perspecta repugnantia, ad Thucydidis verba quasi exprobrandi caussa haec annotavit: *καὶ μὴν Ἡρόδοτος λέγει, ὅτι ἐκινήθη ἐν τοῖς Μηδικοῖς.* — Haec duorum gravissimorum historicorum discrepantia mirum in modum vexavit utriusque scriptoris interpretes. Quorum de variis explicandi rationibus primum disseram, quaeque ab iis minus recte mihi disputata videbuntur refellere co-

---

[1]) Poppo P. I. Vol. I. p. 271.

[2]) *Μετὰ δὲ τοῦτον (τὸν Δᾶτιν) ἐνθεῦτεν ἐξαναχθέντα, Δῆλος ἐκινήθη, ὡς ἔλεγον οἱ Δήλιοι, καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα. καὶ τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός.*

[3]) Thuc. II. c. 8: *ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται· ἐλέγετο δὲ καὶ ἐδόκει ἐπὶ τοῖς μέλλουσι γενήσεσθαι σημῆναι.*

nabor; deinde meam qualemcunque de illis locis difficillimis ac paene desperatis sententiam proponam.

Sed priusquam ad has quaestiones aggrediamur, alia controversia saepius nuper inter viros doctos iactata diiudicetur necesse est, num omnino opus Herodoteum Thucydidi notum fuerit, quod primus Dahlmannus in libro utilissimo („Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte" V. II, P. I, p. 216 sqq.) praefracte negavit. Praecipua eius argumenta haec fere sunt: Memorantur quaedam hic illic apud Herodotum, quae cum iam bellum Peloponnesiacum gereretur, quin etiam cum prope ad finem perductum esset, accidisse apertum est, eaque non solum extremo historiarum libro, quem fortasse ultima vitae aetate conscripsit, sed cum per totum opus passim dispersa sunt, tum maxime insignis est locus libri primi c. 130, ubi res quaedam narratur, quae in annum primum Olymp. 93 (= 408 a. Chr. n.) incidisse putatur [1]). Quos Herodoti locos post Wesselingium in Praef. p. XXIV ed. Schweigh. rursus et copiosius quidem congessit Dahlm. l. c. p. 38 sqq. Quodsi per totam paene vitam ab Herodoto opus illud elaboratum, aut certe additamentis auctum atque elimatum expolitumque esse concesseris, a Thucydide Herodoti fere aequali nondum legi potuisse, neque omnino illo tempore Graecis cognitum fuisse iudicat Dahlmannus. Tum ex hac ipsa re, quamquam compluribus veterum testimoniis repugnantibus, hoc colligere studet, post coloniam demum ab Atheniensibus Thurios deductam (Olymp. 83,4 = 444 a. Chr. n.), cui se adiunxisse Herodotum constat (unde etiam, cum Halicarnassi natus esset, et Halicarnassensem se ipse vocaret, a veteribus saepius ὁ Θούριος nominabatur) ad historias eum conscribendas studium suum contulisse (l. c. p. 48). Qua tamen in re Plinium solum sequitur auctorem, qui haec scribit: (H. N. XII, c. 4 §. 8) „*Tanta ebori auctoritas erat urbis nostrae trecentesimo decimo anno; tum enim auctor ille* (i. e. Herodotus) *historiam eam condidit Thuriis in Italia.*" Denique nonnullos collegit Herodoti locos (l. c. p. 50 sqq.), ex quibus elucet, cognitionem illum habuisse accuratiorem rerum Magnae Graeciae et historicarum et geographicarum, unde persuasum nobis esse vult, nisi Thuriis cum iam degeret, illa conscripta esse non potuisse. Quum igitur et summa adhuc senectute scripserit necesse sit, neque ullo veterum testimonio Graeciam eum unquam ex Italia repetisse confirmari queat, nec Graecorum in manibus, vivo Herodoto, historiae eius esse potuerunt, nec a Thucydide in conficiendis suis de bello Peloponnesiaco libris adhiberi. Haec fere Dahlmanni argumentatio. Atque id profecto Dahlmanno concedi debet, extremam a scriptore manum Thuriis demum operi impositam esse; sed inde nequaquam sequitur, Graecis illud tum plane ignotum fuisse. Nam nimis in eam rem intentus Dahlmannus, quam efficere conatus est, plurium veterum scriptorum auctoritatem elevare et imminuere non dubitavit. Nec tamen veterum testimoniis inter se dissentientibus, temere aliquid, quod quandam speciem ac verisimilitudinem prae se ferat, arripere ceteraque omnia reiicere debemus, sed

[1]) Nam alter locus ex lib. III. c. 15, qui ad eundem annum vulgo referebatur, Kruegeri sagacitate („Untersuchungen über das Leben des Thuc." p. 25 sq.) remotus est; ille autem, quem supra attuli, Krueg. et ipse fatetur fieri posse, ut ab Herodoto posterioribus annis insertus sit.

illud nobis inprimis providendum est, ut eam rationem ineamus, qua et omnes veterum sententiae quantum fieri potest maxime in concordiam redigantur, neque a rerum natura discedatur. Illa vero hac in re cum inventu haud admodum difficilis, tum ad hominis rerum cognoscendarum studiosi vitam consuetudinemque accommodatissima videtur. Etenim nihil est probabilius quam historicum in tanto opere perficiendo, quo res totius propemodum terrarum orbis amplexus est, quodque suo unius studio ac labore fretus, cum scribendi adiumenta et subsidia, quibus uteretur, aut nulla aut perpauca illis temporibus essent, susceperat, vel maximam vitae partem consumpsisse, alia emendando, quae rectius explorasset et investigasset, alia delendo, alia adiiciendo. Cuius rei luculentissima in nostro adhuc libro exstant exempla; quorum ut unum afferam, locus ille lib. VI, c. 122 de Calliae laudibus, quem optime videtur Schweighaeuserus a Valckenariana *νοθείας* suspicione defendisse, etsi a Schaefero quoque ut „*Pannus turpis, adsutus purpurae Herodoti*" uncis inclusus est, cum capitis proxime praecedentis (121) particulae *τε* sequenti demum capite (123) altera particula *καὶ* respondeat [1]), non alia ratione apte explicari potest, quam ut interiectum illud caput (122), a nonnullis etiam codicibus omissum, posteriore aliquo tempore ab Herodoto additum esse existimemus, quod haud scio an ab auctore ipso in margine commentariis suis adscriptum, quum illo iam mortuo liber in publicum seu primum seu iterum emitteretur, ab editore textui insertum sit. — Ac ne illud quidem credendum est, uno tenore totum ab Herodoto librum conscriptum, sed modo hanc, modo illam operis partem occasione data elaboratam esse. Unde non adeo mirandum est, si quid in tam immensa rerum copia memoriam eius fugerit, quod tamen semel tantum, quod sciam, in se admisit, oblitus quod lib. VII, c. 213 extr. promiserat, se alio in libro seu narratione [2]) veram caussam, cur Ephialtes trecentorum Lacedaemoniorum in Thermopylis dimicantium proditor ab Athenade interfectus esset, allaturum. Neque enim quisquam propterea cum Dahlmanno (l. c. p. 48) nondum hunc librum absolutum, sed auctoris morte interruptum esse iudicaverit, cum Persis duobus proeliis terra marique ad Plataeas et Mycalen devictis, exercitibusque et Lacedaemoniorum et Atheniensium in patriam reductis, totam rem, quam sibi Herodotus proposuerat, optime libro nono ad exitum perductum esse appareat. — Ut vero, quae a veteribus de conficiendis hisce Musarum libris tradita sunt, paullo uberius persequamur, omnibus fere terris, quae illa quidem aetate notae essent, perlustratis, Samum insulam reversus, iam tum auctore Suida (s. v. *Ἡρόδοτος*) historiam suam litteris consignavit. Quod haud dubie ita est intelligendum, ut primis tunc lineamentis adumbratos ac descriptos esse historiarum libros statuamus. Suidae enim auctoritatem eo minus prorsus reiicere debemus, quod optime consentit cum Luciano. Is vero Herodotum domo sua relicta e Caria in Graeciam navigasse, ibique cum ludi Olympici celebra-

---

1) c. 121: *Καλλίης τε γὰρ μοῦνος Ἀθηναίων ἁπάντων ἐτόλμα κ. τ. λ.* — c. 123: *καὶ οἱ Ἀλκμαιονίδαι ὁμοίως ἢ οὐδὲν ἧσσον τούτου ἔσαν μισοτύραννοι.*

2) *ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι*, quomodo Herodotus de libris suis vel de singulis operis sui partibus loqui solet. Cf. Wessel. et Schweigh. praef. p. XXVI. c. not. y.

rentur, summa cum laude historias suas recitasse refert [1]). Cui cum recitationi Thucydides, Suida teste [2]), adhuc puer adesset, Larcherus [3]) eam Olymp. 81 = 456 a. Chr. habitam esse putat. Quacunque enim ratione Lucianus eam suo more exornasse, quo magis ad rem, quam tractabat, accommodaret, et tempora commutasse ac perturbasse existimatur, nihil tamen est, cur ipsa duorum scriptorum narratio in dubium vocetur. Immo ne fingere quidem eiusmodi quicquam ausus esset Lucianus, nisi Herodotum aliquando Olympiae praelegisse tota Graecia pervulgatum esset. Quod autem Dahlmannus, summa ope enisus, ut illam summoveret recitationem, ait, verisimile non esse, quemquam tam humili scribendi genere usum, tantam a Graecis laudem reportaturum fuisse, cum contra ne ferendus quidem iis hominibus fuisset, qui nonnunquam Demosthenem ipsum dicentem deseruissent (l. c. p. 21 sq.), satis mirari nequeo. Nam et tempora, quibus vivebant, et res ipsae, quae ab iis tractantur, maxime sunt diversae. Herodoti aetate prosa oratio apud Graecos nova ac paene inaudita fuit; omnes autem recentissima quaque re maxime delectamur, *τὴν γὰρ ἀοιδὴν* (inquit rerum humanarum peritissimus Homerus) *μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.* Deinde si, quod mihi quidem maxime probabile videtur, de bello superiore cum Persis paullo ante tanto omnium ardore ac fortuna gesto quaedam recitavit, nihil profecto reperiri potuit, quod tum maiore cum voluptate audivisset Graeca laudis paternae aemula iuventus. Documento sint nostrae aetatis adolescentuli, qui nulla ex re maiorem percipiunt laetitiam, quam si magistros res praeclare a patribus suis pro liberanda Germania patria gestas enarrantes audiunt. Quanta autem omnino in Herodoti narrationibus insit suavitas ac venustas, quanta vis ad alliciendos ac delectandos auditorum animos, et quivis cordatus ipse sentit, et plurimis veterum testimoniis, quae infra proferentur, confirmatur. Nec tamen in contionem omnium ex omnibus Graeciae partibus confluentium hominum eum processisse ibique in suggestu aliquo exstructo recitasse credendum est, cui sane rei, quod recte monuit Dahlmannus [4]), humanae vires lateraque vix sufficiebant; sed procul dubio locum quendam sacrum aut templi partem aliquam sibi elegit, id quod Lucianus ipse videtur indicare voluisse (l. c.) his verbis: *ἐνίσταται οὖν Ὀλύμπια τὰ μεγάλα, καὶ ὁ Ἡρόδοτος — παρελθὼν ἐς τὸν ὀπισθόδομον* [5]), *οὐ θεατὴν, ἀλλ᾽ ἀγωνιστὴν Ὀλυμπίων παρεῖχεν ἑαυτόν, ᾄδων τὰς ἱστορίας καὶ κηλῶν τοὺς παρόντας.* Sed ut Lucianea mittamus, id tamen negari certe non potest, Herodotum aliquo in loco a Thucydide auditum esse, quoniam

---

[1]) Luc. Herod. sive Aëtion, T. IV. p. 116 sq. ed. Bipont.

[2]) s. v. *Θουκυδίδης: οὗτος ἤκουσεν ἔτι παῖς τυγχάνων Ἡροδότου ἐπὶ τῆς Ὀλυμπίας τὰς ἱστορίας αὐτοῦ διερχόμενος, ἃς συνεγράψατο.*

[3]) T. I. vie d'Herodote p. 79.

[4]) l. c. p. 22: „Kein Organ reicht hin, um ein Werk der Vorlesung vielen Tausenden bekannt zu machen; und ein Werk der Geschichte, sogar der Land- und Ortbeschreibung, im gellenden Heroldstone, oder auch nur im Rednerschwunge vorgetragen, welche Tactlosigkeit!"

[5]) Hanc enim vocem de postica ibi Iovis templi parte accipiendam esse, docuerunt interpretes ad Lucianum T. VIII. p. 571 sq. et 588 ed. Bipont. De *ὀπισθοδόμῳ* aedis Minervae in Athenarum arce disseruit Boeckhius V. Cl. „Die Staatshaushaltung der Athener" P. I. p. 472 sq.

veterum haud pauci Thucydidem, cum Herodoti praelectioni interfuerit, et ipsum ad litterarum studia incitatum tradunt [1]). Id enim ab omnibus illis pariter ficta ac simulata esse ad animos iuvenum simili aemulatione inflammandos, cui tandem Bredowius [2]) et Poppo [3]) persuadeant? Quodsi nemini dubium sit, quin Herodotus, quo magis omnia haberet explorata et perspecta, non modo in multis aliis Graeciae partibus, sed Athenis praecipue, quarum rebus omni laude efferendis maximam eum operam navasse scimus, aliquantum temporis commoratus sit, nonne verisimillimum est, inter Thucydidem iam a tenera haud dubie aetate historiarum dulcedine atque illecebris captum et Herodotum usum quendam ac familiaritatem intercessisse? idque Photii auctoris haud contemnendi verbis colligi potest (cod. 60): *λέγεται ἀναγιγνωσκομένης τῆς ἱστορίας κομιδῇ νέον ὄντα παρὰ τῷ πατρὶ Θουκυδίδην ἀκοῦσαι* [4]). Accedit quod Herodotus, priusquam cum Atheniensium colonis Thurios demigraret, Athenis etiam Panathenaeorum sollemnibus libros suos recitasse (Olymp. 83,3 = 445 a. Chr.) ideoque in summo fuisse honore dicitur apud Eusebium [5]). Illo certe tempore, quo Thucydides etsi iam non puer, iuvenis tamen annorum fere viginti quinque erat, audito summa cum omnium voluptate ac laude Herodoto, et ipsum ad idem studium suscipiendum instigari potuisse, nemo infitias ibit, ut quae Lucianus de Olympico certamine tradit, ad illos ludos commode referantur; quo inclinat etiam G. I. Vossii sententia (De hist. Graec. lib. I, c. 4, T. IV, p. 60, b.) [6]).

Sed hanc quaestionem de usu ac familiaritate, quae Thucydidi puero vel adolescentulo cum Herodoto fuerit, mittamus. Illud consideremus, num totum Herodoti opus, quale nos nunc habemus, Thucydidi bellum Peloponnesiacum litteris mandanti ad manum esse potuerit. Id vero etiamsi non compertum et exploratum habeamus, quibusdam tamen indiciis tantopere commendatur, ut pro certo ponendum sit [7]).

---

1) Marcell. rhetoris vit. Thuc. § 54: *λέγεται δέ τι καὶ τοιοῦτον, ὥς ποτε τοῦ Ἡροδότου τὰς ἰδίας ἱστορίας ἐπιδεικνυμένου, παρὼν τῇ ἀκροάσει Θουκυδίδης καὶ ἀκούσας ἐδάκρυσεν. ἔπειτα φασὶ τὸν Ἡρόδοτον τοῦτο θεασάμενον εἰπεῖν αὐτοῦ πρὸς τὸν πατέρα τὸν Ὄλορον· ὦ Ὄλορε, ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς μαθήματα.* Phot. Bibl. cod. 60. Suidas s. v. *Θουκυδίδης* et *ὀργᾶν*.

2) Ad Heilm. vers. vernaculam P. I. p. VIII sq.

3) V. I. P. I. p. 24 sq.

4) Krueg. l. c. p. 24.

5) Chronic. canon. II. p. 339 ed. Zohrab. et Ang. Mai.: *Ἡρόδοτος ἱστορικὸς ἐτιμήθη παρὰ τῆς Ἀθηναίων βουλῆς ἐπαναγνοὺς αὐτοῖς τὰς βίβλους.* Quin pecunia ab Atheniensibus propter adulationem donatus est, si Plutarcho (et Diyllo) fides habenda, De malignit. Herod. c. 26.

6) Etiam Sophocles, qui Antigonam de fratre vel marito ipsi liberisque praeferendo iisdem argumentis iisdemque adeo sententiarum membris disputantem inducit (Antig. v. 909 sqq.), quibus apud Herodotum Intaphernis uxor utitur (III. c. 119 ibique Valcken.), iam tum videtur notitiam historiarum Herodotearum habuisse, atque adeo amicitiam consuetudinemque cum historico iunxisse, quod aperte declaratur Plutarchi verbis: An seni sit ger. resp. p. 785, B. ed. Wechel. *Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξε Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν πέντ᾽ ἐπὶ πεντήκοντα.* Sed haec maiorem adhuc requirunt disquisitionem.

7) Isto enim Dahlmanni argumento (l. c. p. 221 sq.), propterea opus Herodoteum Thucydidi ignotum fuisse iudicantis, quod ad publicas civitatum litigationes dirimendas, ut Argivorum et Lacedaemoniorum (Thuc. V. c. 41) non adhibeatur testis Herodotus (I. c. 82), sicuti de Homeri carminibus fieri solitum esse videamus, nihil fingi potest ineptius; cum illud aeque Herodoti scriptis neque

Addiderit sane Herodotus hic illic libro suo aliqua, quibus vitam usque ad belli Peloponnesiaci tempora perduxisse videatur. Cum vero nihil eorum, quae ex eius libris congesta sunt, annum primum Olymp. 93 (= 408 a. Chr.) ut supra vidimus (p. 14) excedat, quid impedit, quominus sub finem saltem illius belli librum editum ac pervulgatum esse statuamus? Thucydidem autem, quamvis ipse se bello statim exorto scribere coepisse fateatur (I, 1: *ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου*), post perfectum demum bellum animum ad opus suum aggrediendum applicasse hodie inter eruditos convenit, scribendi materiam solam quamdiu bellum gerebatur summa cura colligentem. Atque id quidem, quod posteriore loco posui, etiam Marcellinus quodammodo sensit, § 47: *ἀφ᾽ οὗ μὲν γὰρ ὁ πόλεμος ἤρξατο, ἐσημειοῦτο τὰ λεγόμενα ἅπαντα καὶ τὰ πραττόμενα, οὐ μὴν κάλλους ἐφρόντισε τὴν ἀρχὴν ἢ τοῦ μόνον σῶσαι τῇ σημειώσει τὰ πράγματα.* Quod autem addit: *ὕστερον δὲ μετὰ τὴν ἐξωρίαν ἐν Σκαπτῇ ὕλῃ τῆς Θρᾴκης χωρίῳ διαιτώμενος, συνέταξε μετὰ κάλλους ἃ ἐξ ἀρχῆς μόνον ἐσημειοῦτο διὰ τὴν μνήμην*, quamvis consentiente Cicerone [1]), probari non potest, nisi de bello iam finito cogitaverit. Ad finem enim eius belli ubique in definiendis temporibus a Thucydide respicitur, nec solum in prooemio (cap. 13 bis et c. 18) quod hanc ob caussam post reliquam historiam scriptum veteres voluerunt [2]), parum accurate, quia tum, opere a scriptore non absoluto, ne exstare quidem potuit, sed per totum propemodum librum eius rei vestigia dispersa sunt, ut lib. II, c. 13: *τοῦ τε γὰρ Φαληρικοῦ τείχους στάδιοι ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος*, ex imperfecto *ἦσαν* liquido apparet, quo tempore haec scribebantur, murum a Lacedaemoniis iam fuisse dirutum [3]). Omnium autem maxime insignis est locus lib. V, c. 26: *Γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ἑξῆς —, μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι, καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον. ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι.* ibidemque § 4: *ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μέμνημαι καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου καὶ μέχρι οὗ ἐτελεύτησε, προφερόμενον ὑπὸ πολλῶν ὅτι τρὶς ἐννέα ἔτη δέοι γενέσθαι αὐτόν.* — Quae cum ita sint, non mirum est, quod opus Thucydideum non perfectum habemus, immo octavum librum non eadem qua ceteros cura expolitum videmus, orationibus etiam, quod summum est apud Thucydidem decus, carentem. Cui enim, hos libros attentius pervolutanti, dubium esse possit, quin plures iis elaborandis annos, non unum modo [4])

---

ullis aliis praeter Homerum unquam contigerit. Homeri autem poematis et summa vetustas et communis per totam Graeciam celebritas, qua quasi sancta habebantur, hanc singularem quandam auctoritatem videntur tribuisse.

1) De Orat. II. c. 13. § 56: „*hos libros tum scripsisse dicitur*“ (Thucydides), „*cum a republica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset.*“

2) Anonymus *περὶ τοῦ Θουκ.* § 8: *μετὰ δὲ τὴν ἱστορίαν φασὶ συντετάχθαι τῷ συγγραφεῖ τὸ προοίμιον, ἐπεὶ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ μέμνηται γεγονότων κ. τ. λ. μέμνηται δὲ ἐν αὐτῷ καὶ τῆς τοῦ πολέμου τελευτῆς, λέγων· ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου.*

3) Eandem quoque ob caussam praeterito usus est Thuc. I. c. 10: *καὶ ὅτι μὲν Μυκῆναι μικρὸν ἦν.*

4) Quod Kruegero viro acutissimo probabile fuisse (l. c. p. 68) miror.

insumpserit? Orationes certe tantam rerum civilium cognitionem, tantam sententiarum ubertatem tamque artificiosam scribendi formam ac paene mathematicam quandam subtilitatem prae se ferunt, ut cum studium et laborem, tum praecipue tempus haud exiguum iis impensum facile agnoscas. Quas tamen non iam prius conscriptas fuisse, id documento est, quod desunt in libro octavo [1]). Itaque erant quidam inter veteres, qui illum non esse Thucydidis censerent aliisque scriptoribus tribuerent (Marcell. § 43). Sed cum peritiores iudices veram in eo historici manum animadverterent (Marcell. § 44. Anonym. § 9: *πληρώσας δὲ τὴν ὀγδόην ἱστορίαν, ἀπέθανε νόσῳ· σφάλλονται γὰρ οἱ λέγοντες μὴ Θουκυδίδου εἶναι τὴν ὀγδόην.*), non tamen eorum qui de Thucydidis filia cogitarunt, sententia prorsus videtur repudianda; non quod ipsa revera eum scripsisse existimanda sit; rectissime enim Marcellinus (§ 43): *οὐ γὰρ γυναικείας ἦν φύσεως τοιαύτην ἀρετήν τε καὶ τέχνην μιμήσασθαι. ἔπειτα, εἰ τοιαύτη τις ἦν, οὐκ ἂν ἐσπούδασε λαθεῖν, οὐδ᾽ ἂν τὴν ὀγδόην ἔγραψε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλα πολλὰ κατέλιπεν ἄν, τὴν οἰκείαν ἐκφαίνουσα φύσιν.*, sed quia illius opera ex paternis commentariis sive *ὑπομνήμασι* in lucem editus sit; atque haud scio an ultima huius libri totiusque operis verba: *ὅταν ὁ μετὰ τοῦτο τὸ θέρος χειμὼν τελευτήσῃ, ἓν καὶ εἰκοστὸν ἔτος πληροῦται.*, quae Thucydidis esse non posse apertum est, non tam a librario aliquo (cf. Poppo P. II, V. I, p. 12), quam ab ipsa filia profecta sint, ad finem paterno operi imponendum adiecta. — Quo diutius autem post bellum Peloponnesiacum in vita mansit Thucydides, eo facilius ad manum habere poterat historiam Herodoteam [2]). Atque illud quoque in hac quaestione haud parvi

---

[1]) Hunc enim potissimum librum orationum immiscendarum nullam praebuisse occasionem, vix quisquam erit, qui Kruegero (l. c. p. 68) credat. Aliter iudicat Poppo P. I. Vol. I. p. 30.

[2]) Cum enim incertum sit, quo aetatis anno e vita discesserit Thucydides, si verum esse, quod Marcellinus tradidit cum Kruegero posueris, § 34: *παύσασθαι δὲ τὸν βίον ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη* (int *λέγεται*), brevissimum vitae tempus post bellum Peloponnesiacum Thucydidi tribueris (Marcell. § 45: *ἀπέθανε δὲ μετὰ τὸν πόλεμον τὸν Πελοποννησιακὸν ἐν τῇ Θρᾴκῃ*); nec tamen eo illud satis efficies, ut non nimis sit puerulus, quo tempore sive Olympiae sive Athenis Herodotum audire potuerit, utque in tam teneram aetatulam veterum illud *ὁ σὸς υἱὸς ὀργῶσαν ἔχει τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ μαθήματα* (v. supra p. 17 not. 1) ullo pacto quadret. Sed Marcellinus ceteris omnibus, qui de eius aetate tradiderunt, adeo repugnat, ut dubitari nequeat, quin illius verba corrupta sint; ac legendum vel, ut alii voluerunt, *ὑπὲρ τὰ ὀγδοήκοντα ἔτη*, vel, quod operi nondum perfecto magis convenit, *ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη*, cum in numerorum notis saepissime librarii peccasse reperiantur. Initio enim illius belli quadraginta fere annorum fuit, non modo teste Pamphila, doctissima Aegyptiorum muliere (A. Gell. N. Att. XV. c. 23: *„Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scriptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt, et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli Peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos natus videtur; Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta. Scriptum hoc in libro undecimo Pamphilae.“*), sed etiam Suida (s. v. *Θουκυδίδης*): *ἤκμαζε κατὰ τὴν πζ′ Ὀλυμπιάδα.* Ut enim ob additum apud Gellium verbum *„videtur“* non tota res pro nihilo habenda (quod Krueg. l. c. p. 7 not. 5 fecit), sed illo modestiae vocabulo nihil aliud significare voluit Pamphila, nisi se de certo ac definito aetatis anno subdubitare, et de uno paucisve annis falli posse, ita illud *ἤκμαζε* apud Suidam, cum ab anno primo Olymp. 87 initium ceperit bellum, cum quadragesimo fere aetatis anno optime congruit, ab anno autem vigesimo tertio plane abhorret. Ac Ciceronis etiam testimo-

momenti videtur, quod Hellanici Lesbii historia Attica (*ἡ Ἀττικὴ ξυγγραφή*) ab ipso Thucydide commemoratur (lib. I, c. 97). Cum enim aetate paullo maiorem fuisse Hellanicum quam Herodotum constet (quamvis quo ille anno natus sit ambigatur)[1]), in hanc tamen reprehensionem eius opera incurrerunt, quod praeter ceteros historicos etiam de Herodoti libris quaedam exscripta essent[2]). Quodsi idem est Hellanicus Lesbius, cuius mentio fit apud scholiasten ad Aristoph. ranas v. 706 (s. 694), quae est Kruegeri (l. c. p. 29) et Dahlmanni (l. c. p. 124 sq.) sententia, repugnante Sturzio (p. 125 sq.), qui de alio quodam Hellanico Milesio cogitandum censuit[3]), cum aperte de pugna ad Arginusas insulas facta ibi agatur, eaque in annum tertium Olymp. 93 = 406 a. Chr. incidat, non illud solum inde efficitur, Hellanicum ad illum usque annum vitam suam perduxisse, sed si quid coniectura assequi possimus, in eundem Hellanici librum Scholiastes Aristophaneus ac Thucydides respexisse videatur. Nam quae a Thucydide *Ἀττικὴ ξυγγραφή* nominatur, eadem videtur fuisse, quae ab aliis *Ἀτθίς* vocatur[4]), eodemque libro haud dubie de illa, quae modo dicta est, pugna tractavit Hellanicus, siquidem usquam de ea tractavit. Sed quicquid de hac coniectura iudicaveris, id certe concedatur oportet, cum Hellanicus ex Herodoti opere quaedam hausisse arguatur, isque aut Pamphila teste iam Olymp. 92,1 = 411 a. Chr., aut ante finitum saltem bellum Peloponnesiacum e vita discesserit[5]), Thucydidem, quo tempore illa de Hellanico (I, 97) scripserit, etiam

---

nium, quo Thucydides „*Paullo aetate posterior*“ (quam Themistocles) dicitur (Brut. c. 11. § 43) in tanto scriptorum consensu haud parvi faciendum videtur. Sed nisi me omnia fallunt, Thucydide ipso ad hanc sententiam confirmandam uti auctore possumus. Octavo enim belli anno (Olymp. 89, 1 = 424 a. Chr.) cum Atheniensium dux (*στρατηγός*) esset et classi praeesset (Thuc. IV. c. 104 et 106), haud iniuria coniicias, priusquam ad summum pervenisset imperium, illum, utpote de republica iam aliqua ratione bene meritum, cives suos in se convertisse, ideoque tum aliquanto maiorem quam triginta circiter annorum fuisse. Iam vero in iis verbis, quae Thuc. V. c. 26. § 5 leguntur: *ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ, αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ, καὶ προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι*, pro eo quod veteres de matura hominum aetate senserunt, non de iuvenili, sed de constanti seu media aetate cogitandum. De toto autem belli tempore (*διὰ παντὸς αὐτοῦ*) cum ibi disseratur, illud *αἰσθανόμενος τῇ ἡλικίᾳ* in primos saltem eius belli annos parum convenire perspicuum est, si Marcellini rationem sequaris; sin Pamphilae ac Suidae, ne ultimis quidem eiusdem belli temporibus magnopere repugnabit, si illo etiam confecto aliquantum vitae spatium eum permensum esse reputaveris, quo demum res bello gestae perscriptae sint. Itaque nihil in universum aliud his verbis indicare voluit, nisi et corpore valido ac firmo et animo ad res intento se fuisse, eademque ratione explicantur a Dionysio (p. 821): *ἕνα προχειρισάμενος πόλεμον — τοῦτον ἐσπούδασεν ἀναγράψαι, ἐρρωμένος τε τὸ σῶμα καὶ τὴν διάνοιαν ὑγιαίνων καὶ μέχρι παντὸς αὐτοῦ βιώσας*. Ex scholiastae autem ad Thucydidem verbis: *ἀντὶ τοῦ ἀκμάζων, διὰ τὸ μὴ παρηβηκέναι τὴν ἡλικίαν, παρακολουθῶν πᾶσι* in neutram partem certi quicquam eruas.

1) Hellan. Lesb. fragm. Sturz. p. 5 sqq. Krueg. l. c. p. 28 sq.

2) Sturz. l. c. p. 13—16. Kreuzer: Die historische Kunst der Griechen, p. 96 not. 109.

3) In hunc Hellanicum etiam Vossius inquirit de Hist. Gr. IV. c. 5.

4) Sturz. l. c. p. 53. X.

5) Nam usque ad annum aetatis octogesimum quintum eum pervenisse auctor est Lucianus: Macrob. c. 22; Herodotum autem, qui minor natu fuit, iam bellis Persicis vixisse, etiam Dionysius Halicarnassensis memoriae tradidit (*περὶ τοῦ Θουκ. χαρ.* p. 139, 2. ed. Sylb.): *ὁ δ᾽ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρό-*

historiarum Herodotearum notitiam habuisse, et his verbis, quae ibidem leguntur: *ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν* (int. *οἱ πρὸ ἐμοῦ ἅπαντες*), *ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά* Herodotum praecipue significare voluisse. Sed si cui forte mirum videatur, quod non, sicuti Hellanici, ita etiam Herodoti nomen aut hic aut usquam alibi legatur, is reputet velim, in notissimis quibusque hominibus saepissime a Thucydide nomina solere omitti, ut Phidiae in Minervae statuae mentione (lib. II, c. 13, § 5, ubi schol. ad vocem *τὸ ἄγαλμα* addit: *ὅπερ ὁ Φειδίας κατεσκεύασε μετὰ τὰ Μηδικά*), ut Hippocratis medici (lib. II, c. 47, § 4), cuius opera in perniciosissima illa pestilentia lenienda eximia fuisse dicitur, ut aliorum [1]). — Omnium denique argumentorum id gravissimum est habendum, quod quivis non praesumpta opinione occupatus haud pauca apud Thucydidem deprehendet vestigia, quibus Herodotum tangi ac perstringi manifestum sit, idque ne veteres quidem fugit. Nam quod lib. I, c. 22 extr. dicit: *κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται*, in quem tandem scriptorem illud *ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα* magis quadrat quam in Herodotum? Ita non solum schol. *ἀγώνισμα, τὸν γλυκὺν λόγον. αἰνίττεται δὲ τὰ μυθικὰ Ἡροδότου*, sed etiam Lucianus, Quomodo hist. sit conscr. § 42: *Ὁ δ' οὖν Θουκυδίδης εὖ μάλα τοῦτο ἐνομοθέτησε καὶ διέκρινεν ἀρετὴν καὶ κακίαν συγγραφικήν, ὁρῶν μάλιστα θαυμαζόμενον τὸν Ἡρόδοτον, ἄχρι τοῦ καὶ Μούσας κληθῆναι αὐτοῦ τὰ βιβλία· κτῆμά τε γάρ φησι μᾶλλον ἐς ἀεὶ συγγράφειν ἤπερ ἐς τὸ παρὸν ἀγώνισμα.*, idemque ultima verba quasi explicaturus ibidem infra (§ 61): *τὸ δ' ὅλον*, inquit, *ἐκείνου μοι μέμνησο (πολλάκις τὸ αὐτὸ ἐρῶ) καὶ μὴ πρὸς τὸ παρὸν μόνον ὁρῶν γράφε, ὡς οἱ νῦν ἐπαινέσωνταί σε καὶ τιμήσωσιν, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἐστοχασμένος πρὸς τοὺς ἔπειτα μᾶλλον σύγγραφε.*, atque distinctius etiam Polyb. III, c. 31: *ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις καὶ διὰ τί, καὶ πῶς καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερον εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μέν, μάθημα δὲ οὐ γίνεται, καὶ παραυτίκα μὲν τέρψει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν* [2]). Quae vero apud Thuc. I, 21 leguntur: *καὶ οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν, ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες, οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν, ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον*, quamvis adversante et repugnante Dahlmanno (l. c. p. 218), manifesto ad Herodotum praecipue referenda sunt cum schol., qui suum *αἰνίττεται τὸν Ἡρόδοτον* voci „*λογογράφοι*" adscripsit; nec minus illa cap. 22: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται*, ubi pariter schol. *πάλιν πρὸς Ἡρόδοτον αἰνίττεται* ait [3]), cum illa suavitas, vel alli-

---

δοτος, γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν (quod ad Xerxis expeditionem in Graeciam susceptam referendum apparet), *παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν*, ibidem p. 138, 36: *Ὀλίγῳ δὲ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν, καὶ μέχρι τοῦ Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Δαμάστης ὁ Σιγεύς κ. τ. λ.* Sturz. l. c. p. 5.

1) V. Poppo P. III. Vol. II. p. 254 f. sqq.

2) Ita Senecam Commissiones meras componere dixit Caligula, Suet. Calig. c. 53 ibique Casaub.

3) Lucianus (l. c. § 42) de utroque scriptore, ut modo vidimus, agens ita pergit: *καὶ μὴ τὸ μυθῶδες ἀσπάζεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν γεγενημένων ἀπολείπειν τοῖς ὑστέροις.*

ciendi ac delectandi vis, *τὸ προςαγωγότερον* (i. e. *τὸ ἡδύτερον, ὃ προςάγει*, schol.) ita Herodoteo sermoni propria ac prope singularis sit, ut magno veterum consensu laudibus extollatur; Luc. Herod. § 1 extr.: *ἐνίσταται οὖν Ὀλύμπια τὰ μεγάλα, καὶ ὁ Ἡρόδοτος, τοῦτ᾽ ἐκεῖνο ἥκειν οἱ νομίσας τὸν καιρόν, οὗ μάλιστα ἐγλίχετο, — παρελθὼν ἐς τὸν ὀπισθόδομον, οὐ θεατὴν ἀλλ᾽ ἀγωνιστὴν Ὀλυμπίων παρεῖχεν ἑαυτόν, ᾄδων τὰς ἱστορίας καὶ κηλῶν τοὺς παρόντας, ἄχρι τοῦ καὶ Μούσας κληθῆναι τὰς βίβλους αὐτοῦ, ἐννέα καὶ αὐτὰς οὔσας*, idemque ibidem statim ab initio; Dionys. Halic. epist. ad Cn. Pomp. T. II, p. 130: *ἡδονὴν δὲ καὶ πειθὼ καὶ τέρψιν καὶ τὰς ὁμοιογενεῖς ἀρετὰς εἰςφέρεται μακρῷ Θουκυδίδου κρείττονας Ἡρόδοτος*, idem *περὶ τῆς τῶν λόγων ἐξετάσεως* p. 69: *ἡδονῇ δὲ καὶ πειθοῖ καὶ χάριτι καὶ τῷ ἀφελεῖ αὐτοφυεῖ ἀβασανίστῳ μακρῷ διενεγκόντα* (i. e. *τοῦ Θουκυδίδου*) *τὸν Ἡρόδοτον εὑρίσκομεν*. Quin etiam, qua ratione Logographos cum poetis a Thucydide coniungi et quasi comparari (lib. I, c. 21) legimus, eadem Strabo de Herodoto tamquam de poeta loquitur, L. XVII, p. 818. D. ed. Casaub. (§ 52 Tzsch.): *πολλὰ δ᾽ Ἡρόδοτός τε καὶ ἄλλοι φλυαροῦσιν, ὥςπερ μέλος ἢ ῥυθμὸν ἢ ἥδυσμά τι τῷ λόγῳ τὴν τερατείαν προςφέροντες*. Sed quid plura? ipse adeo Plutarchus, quamvis malignis sermonibus Herodoti merita detrectaverit, suavitatis tamen laudem imminuere non ausus est, in libello *περὶ τῆς τοῦ Ἡροδότου κακοηθείας* extr. (c. 43): *γραφικὸς ἀνὴρ καὶ ἡδὺς ὁ λόγος, καὶ χάρις ἔπεστι καὶ δεινότης καὶ ὥρα τοῖς διηγήμασι· μῦθον δ᾽ ὡς ὅτ᾽ ἀοιδὸς ἐπισταμένως μὲν οὔ, λιγυρῶς δὲ καὶ γλαφυρῶς ἠγόρευκεν, ἀμέλει ταῦτα καὶ κηλεῖ καὶ προςάγεται πάντας*. — Attamen magnopere cavendum est, ne quis id sibi Thucydidem proposuisse credat, ut, Plutarchi istius more, aemuli sui gloriae obtrectaret, ac vituperando laudes ei debitas praeriperet sibique vindicaret; sed veri amantissimus scriptor, quo melius qua ipse fuisset in rebus cognoscendis ac perscrutandis diligentia, a lectoribus perspiceretur, tum nonnulla certe exempla, ex quibus plurimorum Graecorum in his rebus vel negligentia vel credulitas eluceret, afferenda (ut I, c. 20), tum ubi res ipsa, quae enarratur, necessario postulare videretur (ut II, c. 8) errorem vel gravissimum tecte atque occulte indicandum duxit. Quamobrem permultas alias, quas ei Historia Herodotea praebebat obloquendi vel reprehendendi occasiones, a Dahlmanno (l. c. p. 219 sqq.) copiosissime enumeratas, consulto ac de industria omisisse putandus est.

Sed, ut iam ad propositum redeamus, cuivis attentius, quae et quomodo de Delo terrae motu concussa uterque scriptor disputet, consideranti haud dubium fore contenderim, quin ibi evidentissime Thucydidis animo locus Herodoteus obversetur, cum non modo iisdem paene verbis, ut supra demonstratum est, utantur, sed eandem etiam subiunxerint illi prodigio sententiam, Thucydides: *ἐλέγετο δὲ καὶ ἐδόκει ἐπὶ τοῖς μέλλουσι γενήσεσθαι σημῆναι.*, Herodotus: *καὶ τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός*. Iam hanc ob caussam Wassii ad Thucydidem explicatio, qua eum prioris motus, qui paullo ante exortum bellum Persicum Deli sentiretur, oblitum esse existimavit, admitti nequit. Verumtamen, etiamsi illud quoque concedatur, Thucydidem, cum haec scriberet, quae ab Herodoto de illo motu referuntur, nondum legisse: num, quaeso, probabile est, eum, cuius labor

ac diligentia in levissima quaque re exploranda plane singularis fuit[1]), tantam rem effugisse? Neque vero ullo id pacto fieri potuit. Nam qui disertissime scripserit: *πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται*, id pro comperto habuerit necesse est. Multo minus probanda est eiusdem Wassii emendatio *οὐχ οὕτω σεισθεῖσα* pro *οὔπω σεισθεῖσα*, cum non solum nulla in tanto quem habemus ad Thucydidem optimorum librorum manu scriptorum numero exstet lectionis varietas[2]), sed scholiastam etiam eodem modo legisse ex annotatione eius intelligatur[3]), ut emendationibus certe plane sit abstinendum. Haec praeterea lectio (*πρότερον οὐχ οὕτω σεισθεῖσα*) ab hoc loco, ubi non de gravitate motus, sed de motu tantummodo ipso, quem Deli nunquam futurum veteribus persuasissimum erat[4]), agitur, alienissima videtur. — Aliam explanandae discrepantiae rationem Wesselingius ad Herodotum iniit, quae si vera esset, omnis sane difficultas evanesceret. Thucydidem de eodem atque Herodotum Deli motu, qui res Medicas praecessit, disserere existimat, atque illius verba *ὀλίγον πρὸ τούτων*, cum eodem miraculo etiam bellum Peloponnesiacum portendi velit, latiore sensu esse accipienda[5]). Nolo quaerere, num adverbia *ὀλίγον* et *ὀλίγῳ* ita a veteribus usurpentur. Nam cum apud utriusque linguae scriptores adverbia brevius vel potius indefinitum tempus significantia saepius de longiore intervallo inveniantur, ut apud Latinos: modo et nuper, apud Graecos *νεωστί, πρώην*, alia, quid est cur non idem in adverbiis *ὀλίγον* et *ὀλίγῳ* locum habeat? et confirmatur fortasse hic usus ab ipso Thucydide, I, c. 18: *ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται*, ubi illud *ὀλίγῳ πλείω*, siquidem cum plerisque a Lycurgo anno fere octingentesimo octogesimo (vel adeo octogesimo quarto) Lacedaemoniis reipublicae formam constitutam censeas, longum admodum temporis spatium complectatur oportet; quamquam in definienda Lycurgi aetate magna est inter scriptores et veteres et recentiores controversia[6]). Illud tamen haud iniuria contendi potest, hac sola ratione a Thucydide adverbium *ὀλίγον* seu *ὀλίγῳ* ampliore sensu adhiberi potuisse, si ab illo divinitus facto, ut credebatur, prodigio usque ad belli Peloponnesiaci initia nihil praeterea memoria dignum in Graecia accidisset. Quum vero per illa, quae interiecta sunt tempora, plura mala, ut ait Herodotus[7]), quam per alias

---

1) Thuc. I. c. 22: *οἷς τε αὐτὸς παρῆν, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών* (supple *ἠξίωσα γράφειν*).

2) Nam illud *ὀλίγον πρὸ τούτων* et *ὀλίγῳ πρὸ τούτων* vix in censum referatur.

3) *καὶ μὴν Ἡρόδοτος λέγει ὅτι ἐκινήθη ἐν τοῖς Μηδικοῖς.*

4) Virg. Aen. III. v. 75 sqq. „*quam pius Arcitenens, oras et litora circum*
errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,
immotamque coli dedit, et contemnere ventos.“

Cf. Spanh. ad Callim. Hymnum in Delum v. 11 et 273.

5) „*Equidem*“ (inquit ille) „*utrumque auctorem in concordiam vocare, quam supinitatis convictos relinquere, malim, Thucydidisque* ὀλίγῳ πρότερον *laxius sumere atque ad hunc Deli tremorem adplicare, tantoque cupidius, quod et ille Nostri exemplo in rerum futurarum prodigiis insulae motum censitum fuisse prodidit.*“

6) O. Mueller: Die Dorier I. p. 132. — 7) VI, 98.

viginti hominum aetates perpessi sint Graeci, nihil profecto ne fingi quidem ineptius potest, quam si Thucydides, neglectis bellis Persicis et Atheniensium ac Lacedaemoniorum gravissimis de principatu certaminibus, (quamquam illius quidem iudicio nullum unquam Peloponnesiaco maius a Graecis gestum erat bellum) [1]), illum terrae motum ad suam potissimum aetatem deduci voluisset. Ac ne illud quidem negligendum, quae sit in adversis rebus et bello iam impendente multitudinis superstitiosae consuetudo, omnia quidem vel levissima, quibus futura ostendi ac praedici existimantur, cum modo facta sunt, summa cura observantis et in medium proferentis; illa vero, quae iam antiqua et obsoleta sunt, haud facile memoria repetentis; nedum ut illi, quod ante sexagesimum fere annum evenisse dicebatur, portento ullam in iis rebus quae tum imminebant vim tribuerit. Herodotus autem, cum et ipse illo motu Graecorum inter se certamina portendi dixerit, non tamen ideo in eandem reprehensionem incurrere putandus, quippe qui de utroque bello disserens ad totum tempus quamvis diuturnum suo iure respicere potuerit. Repugnat denique Wesselingianae rationi etiam Seneca, Natural. Quaest. VI, c. 26: „*Thucydides ait, antea quidem immotam fuisse*“ (Delum), „ *sed circa Peloponnesiacum bellum tremuisse*“.

Iam quum nec Wassii nec Wesselingii explicatio ullo pacto probanda, quaeque a Thucydide memorantur ad alium insulae tremorem spectare manifestum sit, videndum est, quid de Herodoto statuamus, num erroris cum gravissimi ac turpissimi insimulemus, an aliqua ex parte excusari possit. Mihi quidem verba eius diligentius consideranti ne ipse quidem Herodotus magnam videtur huic rei fidem habuisse. Primum enim illud *ὡς ἔλεγον οἱ Δήλιοι,* quod non tam ad sequentia (*καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα*) quam ad totam sententiam, vel potius ad priora (*Δῆλος ἐκινήθη*) referendum puto, quanam alia de caussa, quum ex aliis nisi ex Deliis illud cognosci non potuerit, additum est, quam quod ipsi quoque verisimile non fuit? Qua in re etiam Valckenarium habeo auctorem, et ipsum iam similiter iudicantem: „*Quod additur*“ (inquit) „*ὡς λέγουσι Δήλιοι, monstrat, ut puto, motum istum, quem tum sensisse videbantur Delii, rem Graecis passim ignotam fuisse, vel dubitanter receptam.*“ Atque ut haec Herodoti dubitatio magis etiam eluceat, reiecta omnium, quod sciam, recentiorum editionum lectione (*ὡς ἔλεγον οἱ Δήλιοι*), omisso cum tribus optimis codicibus (Med. Pass. Ask.) articulo, vel *ὡς λέγουσι Δήλιοι,* quod vulgo legebatur, vel cum iisdem aliisque libris *ὡς ἔλεγον Δήλιοι* in textum, quem vocant, recipiendum duco. Ita nonnulli tantum ex Deliis, qui appropinquante hostium terribilium classe ex insula effugerant, cum ad evertendas urbes Eretriam atque Athenas praeternavigasset, superstitione, ut fit, in tanto pavore capti, hunc sibi motum sensisse videbantur. Tum vero ne illud quidem scriptorem fefellit, fore ut haec res passim a Graecis in dubium vocaretur, ideoque eam in sequentibus probare conatur, et ea allata ratione, quod tot illis temporibus mala perpessi sint Graeci, ita pergit: *οὕτω οὐδὲν ἦν ἀεικὲς κινηθῆναι Δῆλον, τὸ πρὶν ἐοῦσαν ἀκίνητον,* i. e. „*ita non mirum erat contremuisse Delum, cum antea esset im-*

[1]) Thuc. I. c. 1 et 21 extr.

mota[1])". Oraculo denique de Delo antiquitus edito eam confirmare studet: *καὶ ἐν χρησμῷ ἦν γεγραμμένον περὶ αὐτῆς ὧδε·*

κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Unde etiam id efficitur, hunc versum et quae praecedunt verba non esse delenda cum quibusdam MSS. Accedit quod multo verisimilius est, Eustathium qui illum versiculum ad Dionys. Perieg. v. 525 affert, ex nostro scriptore, a quo ibi plura apertissime mutuatus est, hausisse, quam ab aliquo librario aut alio sciolo ex Eustathio cum Herodoti scriptis inculcatum esse, cum praesertim, quod verissime monuit Schweighaeuserus, oracula immiscere valde historicus ille amet. Ita Pindarum etiam, qui haud dubie de recentiore tempore agens, Delum tum quoque *χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας* appellat[2]), ut Thucydidi consentientem, ita ne ab Herodoto quidem dissentientem habebimus.

Sed una adhuc superest quaestio, eaque omnium si quid video difficillima, quae haud scio an ad liquidum confessumque perduci nequeat, eam dico, quando haec scripserit Herodotus. Ex his certe verbis *καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα* nihil colligi de tempore potest, quum illud *μέχρι ἐμεῦ*, tota paene scriptoris vita conficiendo operi impensa, per se valde ambiguum atque incertum sit, nisi forte e toto verborum nexu coniectura aliquid assequi liceat. Quum igitur futuras illo prodigio Graecorum calamitates portendi dixerit, haec addit: *ἐπὶ γὰρ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, καὶ Ξέρξεω τοῦ Δαρείου, καὶ Ἀρταξέρξεω τοῦ Ξέρξεω, τριῶν τουτέων ἐπεξῆς γενεέων, ἐγένετο πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι ἢ ἐπὶ εἴκοσι ἄλλας γενεὰς τὰς πρὸ Δαρείου γενομένας.* Quodsi illis verbis (*τριῶν τουτέων ἐπεξῆς γενεέων*) adduci possimus, ut cum Dahlmanno[3]) post Artaxerxis mortem haec litteris consignata esse credamus, iam in medium bellum Peloponnesiacum devehimur. Is enim Artaxerxes Xerxis filius, cui Longimano cognomen inditum est, anno demum quarto Olymp. LXXXVIII (sive a. 425 a. Chr. n.) diem obiit supremum. Quae quidem opinio etiam magis iis, quae statim apud Herodotum sequuntur, confirmari videtur: *τὰ μέν, ἀπὸ τῶν Περσέων αὐτῇ γενόμενα, τὰ δέ, ἀπ' αὐτέων τῶν κορυφαίων, περὶ τῆς ἀρχῆς πολεμεόντων.*, cum alterum inprimis membrum (*τὰ δέ, — πολεμεόντων*) non tam accommodate ad ulla alia quam ad belli Peloponnesiaci tempora referatur, quibus viri Atheniensium primarii de principatu inter se certantes summa patriae inflixerint mala. At vero ne post illum demum quem modo dixi annum haec scripta esse credantur, id impedimento est, quod *ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα* dicitur insula, cum alterum terrae motum paullo ante Peloponnesiacum bellum Deli factum esse, ex Thucydide cognoveris. Sin autem posteriore iterum tempore hunc locum ab Herodoto retractatum, atque haec de tribus aetatibus curis tantum posterioribus inserta esse statuas, quo tempore quum iam remotius a Graecia degeret, nihil de altero motu compererit, tum sane culpam non minus turpem in eum conferes, quum illud *μέχρι ἐμεῦ*, nisi

[1]) Sic lib. III. c. 33: *οὔ νύν τοι ἀεικὲς οὐδὲν ἦν, τοῦ σώματος νοῦσον μεγάλην νοσέοντος, μηδὲ τὰς φρένας ὑγιαίνειν.*

[2]) Fragm. 2. edit. Heyn. Fragm. Pind. Prosod. 1. T. 3. p. 587. ed. Boeckh.

[3]) l. c. p. 42.

temporum discrimina, id quod in rerum scriptorem minime convenit, prorsus neglecta ac perturbata vellet, relinqui non posset. Quamobrem illud iam nobis verisimillimum videri debet, totum hunc locum aliquanto ante initum bellum Peloponnesiacum perscriptum esse, idemque etiam Valckenario quodammodo in mentem venisse video, qui ita scribit: „*Quo tempore terram movisse secundum Thucydidem senserunt Delii, vixit quidem Herodotus, sed haec iam olim scripto consignata dudum ante videtur in vulgus emisisse*[1]; *ut adeo Delus ipsi dici potuerit, si vera narrabant Delii, tum temporis καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα.*“ Nam id quidem dubitari nequit, quin multo post Artaxerxis mortem haec scripta esse non potuerint. Alioquin illud insequens temporis spatium eo minus historico erat praetermittendum, quo plura bello procedente exstiterunt eorum principum ac ducum exempla, qui de sua sola gloria ac commodis solliciti maximo reipublicae fuerunt detrimento. Qua de re notissima est praeclara illa Periclis et posteriorum imperatorum in regendae civitatis ratione comparatio apud Thucydidem lib. II, c. 65, §§ 7. 10. 11. edit. Popp. Sed cum de Artaxerxis aetate loquitur Herodotus, illam iam exactam esse, regemque e vita discessisse, nequaquam necesse est, quum praesertim aliquantum temporis Orientis teneret dominationem Artaxerxes (constat enim illum iam inde ab anno secundo Olymp. LXXVIII, sive ab a. 467 rerum esse potitum), ut, quo tempore haec ab Herodoto in commentarios relata sunt, etsi nondum commisso bello Peloponnesiaco, longe maximam tamen illius imperii partem iam praeterisse a vero non abhorreat. Denique noli credere illa *τὰ δέ, ἀπ' αὐτέων τῶν κορυφαίων, περὶ τῆς ἀρχῆς πολεμεόντων* ad solos Athenienses pertinere, cum de universa ibi Graecia agatur (*ἐγένετο πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι κ. τ. λ.* et *τὰ μέν, ἀπὸ τῶν Περσέων αὐτῇ γενόμενα*), sed de utraque praecipue civitate, Atheniensium et Lacedaemoniorum, ibi disseri, iam multo ante bellum Peloponnesiacum per duces suos seu *κορυφαίους* de principatu apud Graecos summa vi inter se certantium[2]. Sed haec hactenus.

Iam ad primum Thucydidis librum c. 20 redeamus. Quod Hipparchus recte ab Herodoto quoque Hippiae tyranni frater, non ipse tyrannus vocatur[3], non magnopere mirum nobis videri debet, neque vero cuiquam cum Dahlmanno (l. c. p. 227) verisimile habendum, Hellanicum historicum tantum in se admisisse errorem, quippe qui vulgi tantummodo Atheniensium, nequaquam peritiorum Graecorum fuisse dicatur: *Ἀθηναίων γοῦν τὸ πλῆθος Ἵππαρχον οἴονται ὑφ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος τύραννον ὄντα ἀποθανεῖν, καὶ οὐκ ἴσασιν, ὅτι Ἱππίας μὲν πρεσβύτατος ὢν ἦρχε τῶν Πεισιστράτου υἱέων, Ἵππαρχος δὲ καὶ Θεσσαλὸς ἀδελφοὶ ἦσαν αὐτοῦ.*, eodemque modo lib. VI, c. 54, ubi fusius de tyrannicidis illis qui vocantur agitur, *Πεισιστράτου γὰρ γηραιοῦ τελευτήσαντος ἐν τῇ τυραννίδι, οὐχ Ἵππαρχος, ὥςπερ οἱ πολλοὶ*

[1]) Id tamen: „*dudum ante in vulgus emisisse*“ non dixerim, nec probari possit.

[2]) C. O. Muellerus (Die Dorier I. p. 312, not. 1) aut Herodotum eius motus, cuius apud Thucydidem fiat mentio, ullam iam habuisse notitiam, aut Thucydidem quicquam de priore motu, cuius meminerit Herodotus, audivisse aut omnino Herodotum legisse negat. Iudicet lector.

[3]) Herod. V. c. 55: *Ἐπεὶ Ἵππαρχον τὸν Πεισιστράτου, Ἱππίεω δὲ τοῦ τυράννου ἀδελφεόν —, κτείνουσι Ἀριστογείτων καὶ Ἁρμόδιος κ. τ. λ.*

οἴονται, (i. e. sicuti vulgus arbitratur) *ἀλλὰ Ἱππίας πρεσβύτατος ὤν, ἔσχε τὴν ἀρχήν*. Atque illud quoque, quomodo vana ista opinio in mentes hominum imperitorum irrepserit, explicatu non est difficile. Cum enim Harmodius et Aristogiton ob interfectum Hipparchum tamquam libertatis vindices atque auctores summis ab Atheniensibus laudibus efferrentur et celebrarentur, fieri sane non potuit, quin, Hippia paullatim oblivioni tradito, ipsius tyranni interfectores ab Atheniensium plerisque existimarentur; idque satis demonstratur scoliis illis apud Athenaeum lib. XV, c. 15, ut: *ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω, ὥςπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, ὅτ᾽ Ἀθηναίης ἐν θυσίαις ἄνδρα τύραννον Ἵππαρχον ἐκαινέτην*. — Sed quae ibi ceterorum quoque Graecorum[1]) paucis interiectis adiunguntur errorum exempla duo, eorum vel utrique vel certe alteri Herodotum non minus obnoxium esse negari non potest. Horum utrumque a Spartanorum institutis repetitur, ac priore quidem loco Graecorum levitas eo nomine perstringitur, quod reges Lacedaemoniorum, quibus duodetriginta senatorum consiliis interesse licebat, non singulos singulis, sed binis calculis suffragium tulisse arbitrentur (*ὥςπερ τούς τε Λακεδαιμονίων βασιλέας μὴ μιᾷ ψήφῳ προςτίθεσθαι ἑκάτερον, ἀλλὰ δυεῖν*). Hac autem culpa, qualiscunque est, ne Herodotus quidem videtur, quamvis ambigua sint eius verba, liberari posse. Is enim, dum munera atque honores regum Lacedaemoniorum lib. VI inde a cap. 56 recensentur, hunc quoque commemorat cap. 57 extr.: *καὶ παρίζειν βουλεύουσι τοῖσι γέρουσι, ἐοῦσι δυῶν δέουσι τριήκοντα· ἢν δὲ μὴ ἔλθωσι, τοὺς μάλιστά σφι τῶν γερόντων προςήκοντας ἔχειν τὰ τῶν βασιλήων γέρεα, δύο ψήφους τιθεμένους, τρίτην δέ, τὴν ἑωυτῶν*. Quem locum quamquam vix quisquam, qui nihil aliunde de hac re audiverit, aliter accipiet, quam binos a singulis regibus positos esse calculos, nihilominus tamen idem fortasse, quum Thucydidis quae modo allata sunt verba legerit, dubitare incipiet, an Herodotus etiam eiusdem atque Thucydides fuerit sententiae neque omnino aliud quicquam dicere voluerit; eaque sane, ut recentiores omittamus, iam Wesselingii fuit opinio, ubique duorum historicorum dissensiones quacunque ratione removere conantis. Quamobrem paullo diligentius in Herodoti locum inquiramus necesse est. Si de duodetriginta senatorum numero unus tantummodo cum regibus cognatione arctissime coniunctus illorum vice suffragium ferret, nulla profecto difficultas superesset. Ille enim propinquus, duobus calculis regum loco positis, tertium adiiceret suum (*δύο ψήφους τιθέμενον, τρίτην δέ, τὴν ἑωυτοῦ*). Sed ut nunc scriptoris verba leguntur, duae inprimis obstant caussae, quominus in hanc sententiam accipiantur. Una, quod numerus pluralis, quo constantissime Herodotus usus est (*τοὺς μάλιστά σφι τῶν γερόντων προςήκοντας —, δύο ψήφους τιθεμένους —, τρίτην δέ, τὴν ἑωυτῶν.*), de duobus diserte cogitari senatoribus clare atque evidenter ostendit. Altera eaque maioris etiam momenti, quod Lacedaemoniorum reges, etiamsi a geminis fratribus, Procle et Eurysthene, Aristodemi filiis, gentis suae originem ducerent, haud tamen facile, quae inter illos inde ab antiquissima rerum memoria tantum non semper intercesserant inimici-

---

[1]) *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα, ἔτι καὶ νῦν ὄντα, καὶ οὐ χρόνῳ ἀμνηστούμενα, καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες* (i. e. etiam non de plebe homines) *οὐκ ὀρθῶς οἴονται.*

tiae [1]), affinitatem secum coniunxisse videantur; ut posterioribus certe temporibus vix quisquam reperiri queat, qui duos simul reges cognatione magnopere attigerit. Accedit illud quoque, quod nisi plus in consilio honoris ac potentiae regibus quam ceteris senatoribus fuisset, minus haec apte *τὰ τῶν βασιλήων γέρεα* dici viderentur. Nam reliqui certe qui ibidem enumerantur (c. 56 et 57) regum honores (*γέρεα*), omnes fere illis solis proprii sunt. Id tamen argumentum non nimis urgendum arbitror. Quodsi ex his quae disputata sunt duos senatores duorum regum, cum hi abessent, munere in suffragiis ferendis functos esse, satis apparet, durissima sane est, ac vix ferenda ea interpretatio, qua priora verba (*δύο ψήφους τιθεμένους*) de duobus senatoribus coniunctis, posteriora (*τρίτην δέ, τὴν ἑωυτῶν*) de iisdem singulis accipi debeant. At tanta simplicitate tantaque perspicuitate altera se commendat explicatio, qua uterque senatorum tres calculos, duos regis nomine, tertium suo ipsius contulisse dicatur, ut ad Herodoti scribendi genus nihil accommodatius videri queat. Ita etiam C. O. Muellerus usitatam per Graeciam opinionem de binis utriusque regis suffragiis secutum esse Herodotum iudicat. Idem tamen vir doctus Dahlmanni, ut iam vidimus, sententiae addictus, non contra Herodotum, sed potius contra Hellanicum (quamquam quid is de hac re senserit, prorsus nobis ignotum est) a Thucydide disputari vult [2]). Hac vero in controversia veterum historicorum illud vel maxime mirum nobis videri debet, quod etiam posterioris aetatis scriptorem Lucianum, eumque rerum a Thucydide expositarum, quod iam ex superioribus satis intelligitur, peritissimum, contrariam amplexum sententiam deprehendimus, Harmonid. § 3 (T. IV, ed. Bip. p. 142): *οἱ μέν γε τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεῖς, τῶν ἄλλων ἑκάστου μίαν ψῆφον φερόντων, ἐκεῖνοι μόνοι ἑκάτερος αὐτῶν δύο ἔφερον.* Quae cum ita sint, iam dudum ea tenebar opinione, ut omnino toto hoc capite Thucydidem non tam res ipsas, quae a Graecis memoriae traditae sunt, reiicere, quam rationem solam, qua referebantur, tamquam minus accuratam parumque fidei historicae convenientem, reprehendere voluisse putarem; quod cum ex verbis *οὐκ ὀρθῶς οἴονται* quodammodo perspicitur, quibus hoc tantum significari videtur, ne ceteros quidem Graecos de multis aliis rebus acriter ac subtiliter iudicasse (i. e. *οὐκ ἀκριβῶς οἴονται*), tum ex iis maxime, quae vulgo Atheniensium ob falsam de tyranno interfecto Hipparcho sententiam exprobrantur [3]). Ita igitur nostro quoque loco verisimillimum mihi videbatur, eodem fere modo de duobus, quos uterque Spartanorum rex in senatu attulisse dicebatur, calculis sentiendum esse. Nimirum revera quidem singulos tantummodo singulis regibus fuisse

---

[1]) Herod. lib. VI. c. 52 extr.: *τούτους (Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα) ἀνδρωθέντας, αὐτούς τε, ἀδελφεοὺς ἐόντας, λέγουσι διαφόρους εἶναι τὸν πάντα χρόνον τῆς ζοῆς ἀλλήλοισι, καὶ τοὺς ἀπὸ τούτων γενομένους ὡσαύτως διατελέειν.* ibique Wessel. Atque id ipsum in retinendis duobus regibus etiam legum Lacedaemoniarum auctor Lycurgus haud dubie spectasse iudicandus. Plut. v. Ages. p. 598 c. ed. Wechel. *ἔοικεν ὁ Λακωνικὸς νομοθέτης ὑπέκκαυμα τῆς ἀρετῆς ἐμβάλλειν εἰς τὴν πολιτείαν τὸ φιλότιμον καὶ φιλόνεικον, ἀεί τινα τοῖς ἀγαθοῖς διαφορὰν καὶ ἅμιλλαν εἶναι πρὸς ἀλλήλους βουλόμενος.*

[2]) l. c. T. II. p. 102, not. 3.

[3]) VI. c. 54: *ἀποφανῶ οὔτε τοὺς ἄλλους οὔτε αὐτοὺς Ἀθηναίους περὶ τῶν σφετέρων τυράννων, οὐδὲ περὶ τοῦ γενομένου, ἀκριβὲς οὐδὲν λέγοντας.*

calculos, quorum tamen uterque duplicis in decernendis rebus suffragii vim haberet. Hanc vero coniecturam etiam a scholiasta ad Thucydidis locum comprobari, quamvis corruptis eius verbis, iam mirum in modum laetabar. *Οἱ γὰρ Λακεδαιμονίων* (inquit ille) *δύο βασιλεῖς ψήφους ἔφερον ἐν τῇ γερουσίᾳ ἑκάτερος ἕνα* (leg. *μίαν*), *διττὴν ἔχοντα* (leg. *ἔχουσαν*) *δύναμιν*. Scholiastam autem etiam secuti sunt Ac. Enenckel in Annotationibus ad elegantissimam interpretationem latinam (p. 476) et H. Stephanus, haec de schol. disserens: „*Videtur innuere, hanc vulgi (Sic!) de Lacedaemoniorum regibus falsam opinionem, quam Thucydides reprehendit, ex eo esse ortam, quod Lacedaemoniorum regum uterque unico quidem calculo sententiam ferret, sed qui duorum vim haberet.*“ Nec defuerunt ex recentioribus, qui hanc rationem amplecterentur. Neque enim cum Poppone V. D. consentire debemus, qui ita disputat: „*Unde hanc rem schol. collegerit, ignoramus; veram certe eam esse nullo modo persuadere nobis possumus, quum alias satis exilis et Thucydide indigna esset ea, quam hic videmus, reprehensio.*“ Nihil enim per se aut exile aut summo historico videtur indignum habendum, quod ad res populorum rectius cognoscendas ac percipiendas, negligentia inscitiave hominum obscuratas vel perturbatas, aliquid conferre possit. Ac vereor, ne altera de re multo etiam graviore inter Thucydidem et Herodotum discrepantia, de qua mox disputabitur, nisi simili ratione tolli nullo pacto queat. — Verumtamen huic quamvis probabili explicationi repugnare videntur ea, quae de eadem re et apud Platonem de legg. lib. III, p. 692 A. leguntur: *καὶ μετὰ τοῦτο ἔτι φύσις τις ἀνθρωπίνη μεμιγμένη θείᾳ τινὶ δυνάμει, κατιδοῦσα ὑμῶν τὴν ἀρχὴν φλεγμαίνουσαν ἔτι, μίγνυσι τὴν κατὰ γῆρας σώφρονα δύναμιν τῇ κατὰ γένος αὐθάδει ῥώμῃ, τὴν τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα τῇ τῶν βασιλέων ποιήσασα δυνάμει.*, et apud Plutarchum, ipsa Platonis verba, ut solet, iniicientem, vit. Lycurgi p. 42 D: *πλειόνων δὲ καινοτομουμένων ὑπὸ τοῦ Λυκούργου, πρῶτον ἦν καὶ μέγιστον ἡ κατάστασις τῶν γερόντων, ἥν φησιν ὁ Πλάτων τῇ τῶν βασιλέων ἀρχῇ φλεγμαινούσῃ μιχθεῖσαν, καὶ γενομένην ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα, σωτηρίαν ἅμα καὶ σωφροσύνην παρασχεῖν.* Quamquam, etiamsi senatores eodem quo reges iure in suffragiis ferendis erant, haud continuo illud quoque efficitur, ut eorum calculi tantundem etiam valuerint; siquidem qui *ἰσόψηφος* seu (ut apud Herodotum) *ὁμόψηφος* dicitur, non propterea idem iam utique *ἰσότιμος* semper sit oportet. Sic a Pericle apud Thucyd. lib. I, c. 141 Peloponnesii eorumque socii *ἰσόψηφοι* omnes nominantur (*πάντες ἰσόψηφοι ὄντες*), cum tamen dubitari vix possit, quin Lacedaemonii in bello Atheniensibus indicendo omnique re militari instruenda maiore fuerint vi atque auctoritate quam socii [1]). Sic apud eundem Thucyd. lib. III, c. 11 Mytilenaei sibi videbantur *ἰσόψηφοι* esse, etsi illo certe tempore ne sententiam quidem ab Atheniensibus rogabantur, et verbo tantum sui iuris et liberi erant (ibidem cap. 10: *ἡμεῖς δέ, αὐτόνομοι δὴ ὄντες καὶ ἐλεύθεροι τῷ ὀνόματι, ξυνεστρατεύσαμεν*). Itaque regum

1) O. Mueller. l. c. I. p. 182: „Indessen sind uns die Verhältnisse doch sehr unklar, im Ganzen galt wohl nach dem aristokratischen Sinne der Peloponnesier Auctorität mehr als Zahl, und zu grossen Unternehmungen, wie zum Peloponnesischen Kriege, gehörte bei übereinstimmendem Willen der andern Bundesglieder nothwendig des Hauptes Beitritt.“

quoque Lacedaemoniorum, utpote senatus haud dubie praesidum, suffragia, quamvis numero non praevaluerint, maioris tamen quam ceterorum senatorum in decernendis rebus momenti fuisse verisimillimum est. Concedendum tamen est, aliis plerumque locis, qui *ἰσόψηφοι* dicuntur, pari eos fuisse auctoritate videri, ut Thuc. lib. III, c. 79 extr.: *τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἐπὶ μὲν τὴν πόλιν οὐδὲν μᾶλλον ἐπέπλεον, καίπερ ἐν πολλῇ ταραχῇ καὶ φόβῳ ὄντας, καὶ Βρασίδου παραινοῦντος, ὡς λέγεται, Ἀλκίδᾳ, ἰσοψήφου δὲ οὐκ ὄντος.* Herod. lib. VI, c. 109: *τὸ παλαιὸν γὰρ Ἀθηναῖοι ὁμόψηφον τὸν πολέμαρχον ἐποιεῦντο τοῖσι στρατηγοῖσι.*, ibid. VII, 149: *καὶ δὴ λέγειν, σφὶ μὲν εἶναι δύο βασιλῆας, Ἀργείοισι δὲ ἕνα· οὔκων δυνατὸν εἶναι τῶν ἐκ Σπάρτης οὐδέτερον παῦσαι τῆς ἡγεμονίης, μετὰ δὲ δύο τῶν σφετέρων ὁμόψηφον τὸν Ἀργεῖον εἶναι, κωλύειν οὐδέν.* — Iam vero, si quaeritur, quanam tandem ratione, quicquid de dissensione ipsa statuendum, falsa ista opinio in re tam clara atque in tanta urbium Athenarum et Lacedaemonis propinquitate hominum mentes occupaverit, etsi certi quicquam quodque omni ex parte satisfaciat afferri nequit, Lacedaemoniorum tamen reipublicae statum et conditionem ipsam qualis fuerit si tecum reputaveris, aliqua ex parte fortasse illud percipi poterit. Antiquioribus enim temporibus hanc civitatem secundum Lycurgi leges institutam fuisse constat hoc modo, ut neque Spartiatis ultra fines patrii soli mercaturam facere, aut omnino iuvenili certe aetate alienas terras peragrare, neque ceteris Graecis diutius Spartae commorari concessum esset[1]); idque eam praecipue ob caussam, ne cognitis aliorum populorum moribus institutisque, ad vitae iucunditatem longe accommodatioribus, fluxi ac debiles hominum animi a severiore illo et horridiore cultu victuque discedere cuperent[2]). Provecti autem aetate, rebusque suis iam assuefacti, quae a ceterorum Graecorum consuetudine ac vita immensum quantum abhorrebant, etiam noluerunt, ac prope dixerim ne potuerunt quidem suam terram relinquere. Quibus ex caussis quum apertum sit, nullum propemodum per longum temporis spatium Lacedaemoniis cum ceteris gentibus fuisse commercium, iam non adeo mirari debemus, quod tanta caligo de rebus Lacedaemoniis Graecorum animis offusa est, quodque in illum quoque errorem se induci passi sunt, ut cum senatui assedisse Spartanorum reges, duoque tulisse suffragia fando audissent, singulis eadem regibus tamquam praerogativam quandam tribuenda putarent.

Alterum *ἀκρισίας* et levitatis Graecorum exemplum, et ipsum a Laconicis institutis petitum, *λόχον Πιτανάτην* Lacedaemoniis fuisse existimantium, quem unquam exstitisse pro certo negat Thucydides (*καὶ τὸν Πιτανάτην λόχον αὐτοῖς εἶναι, ὃς οὐδ' ἐγένετο πώποτε*) ita comparatum videmus, ut non pariter apud Herodotum quoque, cum multi eandem in se admiserint culpam, inveniatur, sed a nullo alio praeterea veterum, quos nunc quidem habemus, scriptorum comprobetur. Neque vero in re exigua ac perobscura ab Herodoto eius *λόχου* mentio fit, sed in nobilissima et notissima, ubi peccare turpissimum est, atque adeo ne ferendum quidem in locupletissimo auctore. Namque illa nocte, quae pugnam Plataeensem proxime praecessit, cum ob aquae commeatusque penuriam aliisque quibusdam de caussis omnes Lacedaemoniorum duces Pausaniae consilium castrorum movendorum probassent, unus Amompharetus, qui illi Pitanetarum cohorti praeerat (*λοχηγέων τοῦ Πιτανητέων λόχου*, Herod. IX, c. 53)

---

1) De *ξενηλασίᾳ* vid. Thuc. I. c. 144 et II. c. 39. Manso. Sparta I. p. 159. Boeckh. die Staatsh. der Athener, II. p. 135 sqq.

2) Thucyd. I. c. 77 extr.: *ἄμικτα γὰρ τά τε καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς νόμιμα τοῖς ἄλλοις ἔχετε, καὶ πρόσετι εἷς ἕκαστος ἐξιὼν οὔτε τούτοις χρῆται, οὔθ' οἷς ἡ ἄλλη Ἑλλὰς νομίζει.* Plut. instituta Lacon. p. 238. D.: *ἀποδημεῖν δὲ οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς, ἵνα μὴ ξενικῶν ἐθῶν καὶ βίον* (leg. *βίων*, ut infra in vita Lycurgi) *ἀπαιδεύτων μετάσχωσι. Καὶ ξενηλασίας δὲ εἰσηγήσατο, ὅπως οἱ παρεισρέοντες μὴ διδάσκαλοι κακοῦ τινος τοῖς πολίταις ὑπάρχωσι.* Idem vita Lycurgi p. 56 C. D., ubi Thucydidem (II. 39.) impugnat.

Pausaniae imperatori obsequi noluisse fertur, ne peregrinos, i. e. barbaros sive Persas[1]), fugisse Spartamque sua sponte ignominia affecisse videretur; ibidemque paullo post Pausanias et Euryanax Pitanaten cohortem deseri (*ἀπολιπεῖν τὸν λόχον τὸν Πιτανήτην*) graviter tulisse dicuntur. In hac igitur re, qua nihil per totam Graeciam celebratius esse poterat, tam foedo errori cum nullus sit apud historicum locus, facile adducor, ut Thucydidem hic quoque paullo subtilius disputasse, nec tam de re ipsa, quam de accurato ac proprio copiarum illarum nomine ab Herodoto dissentire credam. Neque tamen audiendus Schweighaeuserus, ita ad Herodotum disserens: „*Iam, quod Thucydides diserte negat fuisse unquam apud Lacedaemonios Πιτανάτην λόχον, non continuo inde conficitur errasse Herodotum. Potuerat etiam Thucydides aliquatenus in errorem induci: potuerat ille ex Spartano quodam quaerere, sitne in exercitu Lacedaemoniorum λόχος aliquis, qui Πιτανάτης proprio nomine apelletur; cui respondere potuerat Spartanus, nec sua aetate esse talem, nec, quoad ipsi compertum, unquam fuisse. Quod quidem non evincit, falsum Herodotum, cum scriberet Amompharetum ductorem fuisse manipuli Pitanatarum; quod ille sive e litterarum monumento quodam, sive ex hominum illius aetatis fide haud indignorum testimonio potuerat accipere.*“ Hac sane ratione Herodotum quidem excusaveris; Thucydidem vehementissime incusaveris. At quis est, qui ullum historicum, fide aliqua dignum nec plane vanum, etiam ubi aliorum hominum incuriam reprehendit, inanem secutum esse auctorem credat? a Thucydidis certe gravitate ac diligentia istius modi aliquid longe abhorrere nemo infitiari audeat. — Manso igitur V. D. ita dissentientes inter se scriptores in concordiam revocare studuit, ut Herodotus non singularem lochum, *Πιτανάτην* appellatum, perpetuo Spartae fuisse dixerit, quemadmodum verba eius ab interpretibus accepta atque explicata esse viderentur, sed illud tantummodo indicare voluerit, illorum Spartanorum, qui contra Mardonium proficiscerentur, unum lochum e solis Pitanes vici civibus constitisse[2]). At vero et contra Mansonem et contra O. Muellerum, qui brevi rem praecidens Thucydidem non amplius hunc lochum novisse ait[3]), ipse nobis iterum auctor ad partes vocandus est Thucydides, cui, cum ceteris obloquens illum lochum unquam fuisse negaverit (*ὃς οὐδ' ἐγένετο πώποτε*), nisi eum hariolari vel etiam delirare velis, id ipsum exploratissimum fuisse necesse est.

His vero rationibus cum duorum historicorum dissensioni succurri nequeat, iam ea oritur quaestio, num error, qui Graecis a Thucydide probro datur, in eo sit positus, quod lochi nomine parum accurate uterentur, cum Pitane esset tribus seu *φυλή*, eaque fortasse non locho soli, sed morae toti nomen suum dedisset. Nimirum Hesychius, cum illum lochum, quamquam procul dubio Thucydidis ipsius tantum iudicium secutus, ipse quoque reiiciat, qui *ὁ Πιτανάτης λόχος*, ait, *αὐτοσχεδιάζεται, οὐκ ὢν ταῖς ἀληθείαις*, tamen *φυλὴν* eiusdem nominis commemorat, his verbis: *Πιτανάτης στρατός*[4]), *ὁ τῶν Ἑλλήνων· ἤτοι ἀπὸ μέρους, ἢ διὰ τὸν Μενέλαον, ὃς ἦν Πιτανάτης, οὗ χάριν ἐστράτευσαν· ἔστι δὲ ἡ Πιτάνη φυλή.* Neque aliter Photius in lexico: *Πιτάνη, φυλὴ καὶ τόπος τῆς Λακωνικῆς. λόχος δὲ οὐκ ἐγένετο Πιτανάτης, ὡς Θουκυδίδης.* Sed de *φυλῇ* Pitane Herodoti certe aetate nondum cogitandum videtur. Quemadmodum enim Athenis duplex erat civitatis distributio, una inde ab antiquissimis temporibus in *φυλάς, φρατρίας, γένη* secundum gentium cognationem, altera Clisthene auctore in *δήμους* secundum regiones, quas

---

[1]) Herod. IX. 11: ξείνους γὰρ ἐκάλεον τοὺς βαρβάρους. — [2]) Mans. Sparta P. II. p. 126 not. r.

[3]) l. c. T. II. p. 50 not. 6.

[4]) Ita Graecorum exercitus adversus Troianos missus in aliqua fortasse tragoedia antiqua designatur, quod lexicographus iis quae sequuntur explanandum censuit.

Attici incolebant, ita Spartanorum etiam *φυλαί*, quae numero tres erant[1]), et *ὠβαὶ* triginta (quae cum Atheniensium gentibus seu *γένεσι* congruunt), tamquam propinquitate quadam seu vera seu ficta coniunctae, distinguendae sunt a *κώμαις* (quae Atheniensium *δήμοις* respondebant), ad locorum diversitatem dispositis. Ex his autem pagis seu *κώμαις* una fuit Pitana, oppidulum vel vicus ad Eurotam flumen situs, id quod Herodotus ipse testatur lib. III, c. 55: *αὐτὸς ἐν Πιτάνῃ συνεγενόμην* (Archiae cuidam)· *δήμου γὰρ τούτου ἦν.* Scholiastes ad Thucydidis verba *τὸν Πιτανάτην λόχον* ita scribit: *ἀπὸ Πιτάνης κώμης. Ἡρόδοτος μαρτυρεῖ, ὅτι ἦν ὁ Πιτανάτης λόχος, Πιτανάτης κληθεὶς ἀπὸ Πιτάνης, κώμης Λακωνικῆς*[2]). Unde illa quoque in Asia Aeolum Pitane, cuius apud Herod. I, 149. mentio fit, duxisse nomen suum videtur. Posterioribus demum seculis, sub imperatoribus fere Romanis, illi pagi (*κῶμαι*) cum tribubus (*φυλαῖς*) commisceri coepti sunt, ut et *Μεσόα* et *Κυνόσουρα* a grammaticis et Lexicographis *φυλὴ Λακωνικὴ* vocatur[3]), idemque de Pitane quoque apud Hesychium et Photium fieri vidimus. Hinc igitur efficitur, Herodoti aetate nondum de tribu Pitanetarum mentionem inferri potuisse, idque eo minus, si Mesoam, Cynosuram, Limnas, Pitanen nihil aliud fuisse Muellero concesseris[4]), nisi Spartae ipsius vicos seu *κώμας*. — Sed quicquid de hisce tribubus iudicandum est, cum verisimillimum sit, ex hac in pagos (*κώμας*) descriptione Lacedaemoniorum exercitum conscriptum atque in *μόρας* et *λόχους* distributum fuisse, quid est quod obstet, quominus *μόραν* et *λόχον* inter se commixta ac perturbata esse ab Herodoto statuamus? ita, ut eius culpa hac sola in re versetur, quod quae *μόρα* dicenda erat, ille *λόχον* dixerit? Quae quidem coniectura etiam propterea veri quandam speciem praebere possit, quod, etiamsi numerus militum, ex quibus *λόχος* constabat, pro eo numero, quem mora continebat, admodum diversus inveniatur, utique tamen nimiae tum hominum paucitati praefuisse videatur Amompharetus, quam ut Pausaniae duci in consilio quod ceperat exsequendo tanto esse potuerit impedimento. Sed ut de hoc argumento prius disseratur, si paullo accuratius rationem inieris, haud tam parvam tunc fuisse illam lochi multitudinem reperies. Nam mittebantur a Lacedaemoniis ad illud bellum Spartanorum, qui quidem proprie sic dicuntur, quinque milia[5]) (praeter alterum tantum numerum *τῶν περιοίκων*)[6]). Universum autem Spartanorum exercitum in sex *μόρας* divisum fuisse constat; unaquaeque igitur mora, quamvis diversa a veteribus de illarum ut de lochorum numero tradita sint, tum certe plus octingentos Spartanos continebat. Quum vero singulae iterum morae in quattuor lochos distribui solerent, ut locupletissimus sane in hisce rebus auctor docet Xenophon[7]), unusquisque lochus e ducentis amplius militibus constabat. Parine etiam ratione illae *περιοίκων* copiae divisae fuerint, in medio relinquatur. At Pitanatas non *περιοίκων*, sed ipsorum Spartiatarum fuisse, iam supra demonstratum est. Singulis autem Spartiatis cum septem levis armaturae milites ex Helotarum numero adiuncti essent, quemadmodum ex Herodoto ipso discimus[8]), mille sexcentorum circiter militum

---

[1]) De quibus erudite disputavit Boeckhius ad Pind. Pyth. I. T. 3. p. 234 sq. O. Mueller. l. c. II. p. 77: „In Sparta, der Stadt des reinen Dorismus, darf man durchaus nicht mehr als die drei ächt dorischen Stämme annehmen."

[2]) Meursii Miscell. Lac. IV. c. IX. p. 277 sq. Manso l. c. II. p. 126 sq. O. Mueller. l. c. II. p. 49 sqq. Spanh. ad Callim. H. in Dianam v. 172.

[3]) O. Mueller. l. c. p. 49. — [4]) l. c. p. 51.

[5]) Herod. IX. c. 10. — [6]) ibid. c. 11.

[7]) de rep. Laced. 11, 4. Manso l. 2. p. 225 sq. O. Mueller. II. p. 234. Sturz. lex. Xenoph. s. v. *μόρα*, 2.

[8]) IX. c. 10 et 28: *τὸ μὲν δεξιὸν κέρας εἶχον Λακεδαιμονίων μύριοι·* (fallitur enim Muellerus II. p. 46 de decem milibus *τῶν περιοίκων*, quinque Spartiatarum loquens, cum etiam *περιοίκων* non plus quam quinque milia fuisse et ex hoc loco, et praecipue ex cap. 11 perspiciatur) *τουτέων δὲ*

dux erat Amompharetus, haud sane contemnendae multitudinis, prout tunc saltem apud Graecos erat copiarum numerus. — Iam vero illud discrimen inter *μόραν Πιτανάτην* et *λόχον Πιτανάτην*, etsi nec tam exile nec Thucydide indignum cum Poppone habendum est, tamen hanc certe ob caussam Herodotum in crimen vocari non potuisse hinc satis cognoscitur, quod tum Amompharetus *πολέμαρχος*, quomodo morae dux a Spartanis appellari solebat, erat dicendus. Xenoph. de rep. Laced. 11, 4: *ἑκάστη δὲ τῶν πολιτικῶν τούτων μορῶν ἔχει πολέμαρχον ἕνα, λοχαγοὺς τέσσαρας κ. τ. λ.* idem Hellen. IV, c. 4, § 7: *οὕτω δὴ ἐπιχειρεῖτον ἄνδρε δύο, Πασίμηλός τε καὶ Ἀλκιμένης, — συγγενέσθαι Πραξίτᾳ, τῷ Λακεδαιμονίων πολεμάρχῳ, ὃς ἐτύγχανε μετὰ τῆς ἑαυτοῦ μόρας φρουρῶν ἐν Σικυῶνι.* Illud vero, non morae, sed locho praefuisse Amompharetum, seu lochagi munere functum esse, cum omnes Graecos, tum praecipue Herodotum effugere non potuisse certissimum est. Itaque et *λοχηγέων* ab historico (lib. IX, c. 53) inducitur Amompharetus, neque usquam aliter, quotiescunque ducis eius in re militari commemoratur munus, quam lochi nomine hae copiae notantur, ut ibidem c. 57 saepius. Cave tamen his repugnare existimes, quae apud Thucydidem lib. V, c. 71 extr. leguntur: *ἐς δὲ τὸ διάκενον τοῦτο παρήγγελλεν ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ κέρως δύο λόχους τῶν πολεμάρχων Ἱππονοΐδᾳ καὶ Ἀριστοκλεῖ ἔχουσι παρελθεῖν καὶ ἐςβαλόντας πληρῶσαι,* quoniam nihil prohibet, quominus etiam polemarchi aliquando, ubi res postulant, singulos lochos, quantumvis proprie morarum sint duces, in pugnam adducere iubeantur; nec tamen ideo pro iisdem, qui *λοχαγοὶ* dicuntur, habendi sunt, sicuti etiam a Thucydide ipso ibidem (c. 66) aperte internoscuntur: *βασιλέως γὰρ ἄγοντος, ὑπ' ἐκείνου πάντα ἄρχεται, καὶ τοῖς μὲν πολεμάρχοις αὐτὸς φράζει τὸ δέον, οἱ δὲ τοῖς λοχαγοῖς κ. τ. λ.* — Ceterum ne quid, quod ad hanc obscuriorem rem aliquatenus illustrandam pertineat, praetermittatur, ex eodem scriptoris loco haud immerito colligi potest, non quovis bello eodem modo in illas moras ac lochos Lacedaemoniorum exercitum distributum fuisse, quandoquidem in illo ad Mantineam proelio omnes Lacedaemoniorum copiae e septem praeter Sciritas lochis compositae fuerunt (ibid. c. 68, 3). Hi enim lochi quomodo, cum septem fuisse dicantur, sex moris Xenophonteis fere respondeant, quae Popponis est opinio (ad l. c.), haud facile ostendi possit.

Iam vero ut nec de tribu (*φυλῇ*), nec de mora Pitanatarum apud Herodotum cogitari posse, satis mihi demonstrasse videor, ita ne illud quidem contendere ausim, talem quendam apud Lacedaemonios lochum, qui *Πιτανάτης* vocaretur, omnino non fuisse, cum praesertim etiam Herodianus disertissime memoriae tradiderit, ab imperatore Antonino Caracalla, iuvenibus quibusdam Sparta arcessitis, Laconicum et Pitanaten lochum Romae fuisse institutum. Verba eius, quae iam Meursius etsi aliam ob caussam attulit [1]), haec sunt (lib. IV, 8): *ἀπό τε Σπάρτης μεταπεμψάμενος* (Caracalla) *νεανίας, Λακωνικὸν καὶ Πιτανάτην ἐκάλει λόχον.* In hoc enim locho instituendo nihil aliud egisse imperatorem illum, nisi ut veterem quendam Lacedaemoniorum ipsorum morem usumque sequeretur atque imitaretur, cum suopte ingenio id confingere et comminisci nequaquam posset, quis est qui non videat? Quae cum ita sint, quid tandem de Thucydide faciendum? Iam nihil omnino ex his quae disputata sunt reliqui videtur esse, nisi in hunc fere modum de ea re statuatur. Fuit sane in Spartanorum exercitu *λόχος* quidam, qui vel e solis Pitanatis, vel maximam certe partem ex iis constabat, eamque ob caussam haud iniuria sive *λόχος Πιτανατῶν* sive *λόχος* adeo *Πιτανάτης* dici potuit. Haec autem illius lochi appellatio primum apud ipsos

---

τοὺς πεντακιςχιλίους, ἐόντας Σπαρτιήτας, ἐφύλασσον ψιλοὶ τῶν Εἱλωτέων πεντακιςχίλιοι καὶ τριςμύριοι, περὶ ἄνδρα ἕκαστον ἑπτὰ τεταγμένοι. maximeque cap. 29: *ψιλῶν δὲ πλῆθος ἦν τόδε· τῆς μὲν Σπαρτιητικῆς τάξιος πεντακιςχίλιοι καὶ τριςμύριοι ἄνδρες, ὡς ἐόντων ἑπτὰ περὶ ἕκαστον ἄνδρα· καὶ τουτέων πᾶς τις παρήρτητο ὡς ἐς πόλεμον.*

[1]) Miscell. Lacon. lib. II. cap. II. p. 100.

Pitanatas quin usitatissima fuerit, dubitari nullo modo potest. Deinde eadem, nisi me omnia fallunt, vulgo etiam cum inter Lacedaemoniorum milites omnemque plebem, tum praecipue apud universum universae Graeciae exercitum, quotiescunque uno illas copias nomine complecti volebant, frequentissima erat. Attamen publicis in rebus, cum milites conscriberentur, aut omnino de singulis copiarum partibus a magistratibus verba fierent, hac voce, tamquam parum propria ac minus accurata, uti soliti esse non videntur. Quodsi in hanc sententiam transieris, omnis controversia, quae inter duos egregios intercedit scriptores, diiudicata erit et composita. Nam Herodotus vulgi narrationes plerumque secutus, hac quoque in re facere non potuit, quin communi omnium Graecorum opinioni assentiretur et occasione data pervulgatum illius lochi nomen usurparet. Contra Thucydides, qui ipsos rerum fontes indagare solet, cum illum errorem animadvertisset, quanto plures illo imbutos videbat, tanto magis eum notandum esse duxit. — Sed ne omnia, quae modo proposita sunt, dubia sola coniectura contineri existimes, quaedam in veterum reliquiis etiamnunc supersunt vestigia, quibus lochum hoc nomine Spartanis revera non fuisse cognoscas. Nam cum Simonides apud Xenophontem in Hierone c. 9, 4 dicat: *διῄρηνται ἅπασαι αἱ πόλεις αἱ μὲν κατὰ φυλάς, αἱ δὲ κατὰ μοίρας, αἱ δὲ κατὰ λόχους*, haud scio an Spartanorum urbs, praeter illam totius eorum exercitus in *μόρας, λόχους, πεντηκοστύας, ἐνωμοτίας* descriptionem, in alios quosdam *λόχους* secundum urbis regiones seu vicos (*κώμας* vocat Thucyd. I, 10, 2) divisa fuerit; eos autem quinque fuisse numero haud dubium videtur. Ita certe Hesychius s. v. *λόχος*: *Λόχοι Λακεδαιμονίων, φησὶν Ἀριστοφάνης*[1], *τέτταρες· πέντε γάρ εἰσιν, ὥς φησὶν Ἀριστοτέλης*. Ita manifesto etiam Photius in lexico suo: *λόχοι Λακεδαιμονίων η΄, Ἀριστοφάνης*[2]). *Θουκυδίδης δὲ ε΄. Ἀριστοτέλης ζ΄.* Cum enim apud Thucydidem septem (*ζ΄*) supra viderimus lochos, Hesychius autem quinque (*ε΄*) ex Aristotele afferat, apud Photium quoque, numeris transpositis, sic legendum esse apparet: *Θουκυδίδης δὲ ζ΄. Ἀριστοτέλης ε΄.* Casu autem quodam contigit, ut non numerus solum, verum etiam nomina horum nobis lochorum a veteribus servata sint. Scholiastes alius ad Aristoph. Lysistr. l. c.: *ἀργότερον* (i. e. negligentius) *τὰ Λακώνων ἔοικεν ἐξειργάσθαι ὁ ποιητής· λόχοι γὰρ οὐκ εἰσὶ τέτταρες ἐν Λακεδαιμονίᾳ, ἀλλὰ ϛ΄, Ἔδωλος, Σίνις, Ἀρίμας, Πλοάς, Μεσοάγης* (pro quo legendum cum Muellero *Μεσοάτης*). *ὁ δὲ Θουκυδίδης ζ΄ φησί, χωρὶς τῶν Νικηριτῶν*[3]). Sed numeri quoque signum *ϛ΄*, cum quinque tantum lochi a scholiasta nominentur, depravatum est, et commutandum in *ε΄*. Utraque vero emendatio, et haec nostra et Muelleriana illa, mire confirmatur altero scholio apud Thucydidem lib. IV, c. 8 extr., etsi in nominibus ipsis, si cum superioribus comparantur, nonnihil reperitur diversitatis: *λόχοι Λακεδαιμονίων πέντε· Αἰδώλιος, Σίνης, Σαρίνας, Πλόας, Μεσοάτης*. In his igitur quinque lochis, sive, ut nos opinamur, solius Spartae urbis sunt, sive totius Laconicae mavis, Mesoates quidem lochus fuit, Pitanates nullus fuit. — Haec habui, quae de illis quaestionibus proponerem. Tu vero, benevole lector, ut Horatii verbis utar,

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

[1]) Respicit lexicographus Comici locum in Lysistr. v. 454, ubi schol.: *τοῦτο δέ φησιν, ὅτι καὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις τέσσαρες ὑπάρχουσι λόχοι, οἷς κέχρηται ὁ βασιλεύς.* idemque ad Acharn. v. 1087. Sed hi quattuor regum lochi valde sunt incerti atque obscuri; cf. O. Mueller. l. c. II. p. 238 not. 4.

[2]) Iam G. Hermannus optime emendavit: *δ΄, ὡς Ἀριστοφάνης.*

[3]) leg. *Σκιριτῶν* cum Thucydide ipso V. c. 68: *λόχοι μὲν γὰρ ἐμάχοντο ἑπτά, πλὴν Σκιριτῶν, ὄντων ἑξακοσίων.*

Ern. Ad. Salomon.